B2 106.916

OFFICIA PROPRIA
AD USUM DIŒCESIS
VAPINCENSIS

A S. R. CONGREGATIONE APPROBATA

AC DE MANDATO

ILLUSTRISSIMI AC REVERENDISSIMI

DD. AUGUSTI-CALLISTI BONNABEL

VAPINCENSIS EPISCOPI

EDITA

•

PARS HIEMALIS [et caetera]



BIBL. STE GENEVIÈVE

TURONIBUS
SUMPTIBUS ET TYPIS MAME
SANCTÆ SEDIS APOSTOLICÆ ET SACRÆ RITUUM CONGREGATIONIS
TYPOGRAPHORUM

IMPL. ANGERS. 49.00

OFFICIA PROPRIA
DIŒCESIS VAPINCENSIS

PARS HIEMALIS

FESTA JANUARII

DIE 17 JANUARII

SANCTÆ ROSSOLINÆ

VIRGINIS

Duplex

Offic. in Psalt. et in Comm. Virg. præter seq. :

Oratio

DEUS, pro cujus amóre beáta Rossolína mundi sibi blandiéntis calcávit illécebras, ut tibi únice adhæréret : tríbue nobis ex ejus imitatióne terréna despícere ; et cæléstium donórum semper participatióne gaudére. Per Dóminum.

Et fit Com. præcedentis S. Marcelli I Papæ et Mart. et S. Antonii Abb.

In I Noct. Lect. de Script. occurr. cum Resp. de Temp.

In II Nocturno

Lectio iv

ROSSOLÍNA, ex illústribus de Villanóva et de Sabráno famíliis orta, non obscúra vel ab incunábulis futúræ sanctitátis indícia præbuit, misericórdia in páuperes jam commendábilis : quam puéllæ caritátem miráculo illustrátam tradunt, dum panes paupéribus erogándos, ut patrem latéret, in rosas convértit. Decénnis pia matre orbáta, ad ecclésiam confúgiens, Dei Genitrícem eníxe rogávit, ut sibi mater esset et tutrix. Exínde uni Deo placére studens, ægre consentiénte patre, in monastérium beátæ Maríæ Vírginis ex Aurouze, vulgo Berthaud, in diœcési Vapincénsi,

sanctimoniálium Carthusianárum, anno décimo quinto expléto, ingréssa, post duos annos, die Natáli Dómini proféssa est. Ibi septem annos mansit, póstea in monastérium Cellæ-Roubaud, in diœcési Forojuliénsi, a suis nuper eréctum ac fundátum, se cóntulit, ibíque solémni professióne Vírginem se Deo consecrávit.

℟. Propter veritátem et mansuetúdinem, et ustítiam : * Et dedúcet te mirabíliter déxtera tua. ℣. Spécie tua et pulchritúdine tua inténde, próspere procéde, et regna. Et.

Lectio v

NOVUM hoc vitæ genus ampléxa, intra breve tempus, humilitáte, obediéntia, solitúdinis et siléntii amóre, ceterísque religiósis virtútibus omnes antecélluit. Tam rápidis in perfectiónis via proféctibus, ómnium sorórum sibi conciliávit afféctum et admiratiónem. Monastérii regímini, ob sanctitátis ac prudéntiæ famam, præfécta, eo in múnere zelum reguláris observántiæ sic adtemperávit, ut omnes ad perfectiónis desidérium inflammáret. Aliquot ante óbitum annis, ut rerum cæléstium contemplatióni única vacáret, dignitáti suæ renuntiávit. Demum méritis cumuláta, christiánis refécta sacraméntis, magnum sui desidérium soróribus relínquens, ánimam Deo réddidit, anno salútis millésimo trecentésimo vigésimo nono.

℟. Dilexísti justítiam et odísti iniquitátem : * Proptérea unxit te Deus, Deus tuus, óleo lætítiæ. ℣. Propter veritátem, et mansuetúdinem, et justítiam. Proptérea.

Lectio vi

CORPUS Vírginis vix tértio die sepultúræ mandári pótuit, propter confluéntium fidélium instántem pietátem. Sanctitátis ejus opiniónem auxérunt plúrima ad illíus invocatiónem impetráta a Deo beneficia : præsértim e [illegible] ra elevátum est corpus, propter cæléstem fragrántiam ex eo júgiter emanántem. Tunc autem

ferunt mirátos fuisse omnes óculos Vírginis végetos, et ácie, sicut in vita, præditos ; qui hodiédum in ecclésia parochiáli de Arcubus pie asservántur. Porro sacrum ejus corpus non longe ab illo óppido in ipsíus monastérii antíqua ecclésia, requiéscit, fere ex omni parte incorrúptum, et summa incolárum ac exterórum devotióne frequentátum. Quod quidem, anno Dómini octingentésimo trigésimo quinto supra millésimum, tértio Idus Júnii, Epíscopus Forojuliénsis e theca lígnea translátum in arca marmórea solémniter collocávit.

℟. Afferéntur Regi vírgines post eam, próximæ ejus * Afferéntur tibi in lætítia et exsultatióne. ℣. Spécie tua et pulchritúdine tua inténde, próspere procéde, et regna. Afferéntur tibi. Glória Patri. Afferéntur tibi.

In III Noct. Homil. in Evang. Símile erit, de Comm. Virg 1º loco.

Lectio ix de S. Antonio Abb. ut in Brev.

Ad Laud. Com. S. Antonii.

Vesp. de seq. Cath. S. Petri, Com. S. Pauli, præcedentis, S. Antonii et S. Priscæ Virg. et Mart.

Complet. de Dominica.

DIE 19 JANUARII

SANCTI PELADII

EP. EBREDUN. ET CONF.

Duplex

Offic. in Psalt. et in Comm., præter sequentia.

In II Vesp. præced. Cathedræ S. Petri, post Com. S. Pauli fit Com. S. Peladii : Ant. Sacérdos, ℣. Amávit, de Comm. Conf. Pont.

Oratio

Deus, qui beátum Peládium Confessórem tuum atque Pontíficem innúmeris fulgére fecísti miráculis ; ipsíus intercessióne, grátiæ tuæ divítias in omnes qui te deprecántur benígnus infúnde. (Per Dóminum.)

Deinde Com. Ss. Marii et Soc. Mm. ac S. Canuti Regis, Mart.

In I Nocturno Lect. de Script. occurr. cum Resp. de Temp.

In II Nocturno

Lectio iv

PELÁDIUS, Ebredunénsis Epíscopus, nobílibus et cathólicis paréntibus Ebredúni natus est, quo témpore Arianórum hæresis in hac civitáte et in toto Burgúndiæ regno máxime grassabátur. Puer a Catulíno Archiepíscopo ad virtútem erudítur : quantúsque in ea futúrus esset, mira eárum rerum quæ hanc ætátem cápere solent, abstinéntia, spécimen dedit. Cum autem Catulínus ab hæréticis sede sua pulsus, Viénnam, apud beátum Avítum confúgeret, abeúntem proséquitur Pelàdius, et bonis opéribus studióse imitátur. Mórtuo ínterim Catulíno sufficitur Gallicánus hujus nóminis primus. Sed cum brevíssimo pontificátu functus, præmatúre et pie in Christo obiísset, una totíus Cleri populíque voce ad labéntis Ebredunénsis Ecclésiæ cólumen Pelàdius evocátus est. Facultátibus suis páuperum inópiam, viduárum et orphanórum orbitátem sublevávit. In oratióne assíduus, in Sacrórum Códicum lectióne plúrimus, in obeúnda Diœcési sédulus, et frequénti maceratióni inténtus, humánas laudes pénitus exhorréscens, vitam cæléstem agébat.

℟. Invéni David servum meum, óleo sancto meo unxi eum : * Manus enim mea auxiliábitur ei. ℣. Nihil profíciet inimícus in eo, et fílius iniquitátis non nocébit ei. Manus.

Lectio v

ANGELOS habébat cómites assíduos, a quibus rerum gerendárum séроці riem, et occultárum ac futurárum notítiam accípiens, Burgúndiæ Sigismúndo Regi intéritum, et ejus regni excídium prænuntiávit. Signo crucis dæmonum rábiem vánaque terriculaménta elúsit frequénter, ac irruéntem in se magnæ molis rupem álio detórsit. Viduæ fílium únicum parálysi deténtum sacra sanávit unctióne ; pane benedicto hóminem curávit in extrémis constitútum. A dæmónibus ob-

séssum et lingua truncátum sacro inúngens chrísmate, sanitátem ipsi et loquélam réddidit. Intra quinque annos quibus pontificátum gessit, quinque constrúxit Basílicas. Dénique virtútibus et miráculis clarus, cum mortis suæ diem, ipso pontificátus inítio, prædixísset, séptimo Idus Januárii migrávit ad Dóminum. Ejus relíquiæ diu Ebredúni servátæ, póstea a Mónacho ex sancti Benedícti família in Cataláuniam exportátæ, ad urbem Camprodunénsem in Monastério sancti Petri, órdinis Benedictíni, depósitæ sunt.

℟. Pósui adjutórium super poténtem, et exaltávi eléctum de plebe mea : * Manus enim mea auxiliábitur ei. ℣. Invéni David servum meum, óleo sancto meo unxi eum. Manus.

Lectio vi

JAM pridem ibi sacra hæc pígnora servabántur inclúsa arca argéntea, quam cæláta in auro beáti Pontíficis Insígnia ac miraculórum monuménta circumornábant, cum sæculo décimo quinto desinénte, profligáta a Gallis Cataláunia, Monastérium datum fuit victóribus diripiéndum, et arca sancti Peládii capta est. At, mirábilis in sanctis suis, Deus províderat ut militáret in Gallórum exércitu Joánnes Richérius Montis-Gardíni Comárchus, qui religiónis amántior capsam própriis redémptam súmptibus Monastério restítuit ; unam tantum pro tali benefício repóscens sacri pígnoris partículam. Nec mora : sancti Pontíficis bráchii grándius fragmen, ex osse magno, peténti solémniter concéditur, una cum obsignátis rei totíus testimóniis. Repósita ex tunc apud Montem-Gardínum monuménta illa, anno millésimo septingentésimo quarto, a Bernardíno Francísco Ebredunénsi Archiepíscopo diligénti comprobáta exámine, veritátis simul et antiquitátis sigíllum ferre secum visa sunt. Quibus ita peráctis, pii Richérii succéssor média pretiósi frágminis parte libénter

donávit Ecclésiam Ebredunénsem, ubi étiam nunc sacrum illud pignus cólitur.

℟. Iste est, qui ante Deum magnas virtútes operátus est, et omnis terra doctrína ejus repléta est : * Ipse intercédat pro peccátis ómnium populórum. ℣. Iste est, qui contémpsit vitam mundi et pervénit ad cæléstia regna. Ipse. Glória Patri. Ipse.

In III Noct. Homil. in Evang. Homo péregre, de Comm. Conf. Pont.

Lect. ix Ss. Marii et Soc. Mm. et eorum fit Com. ac S. Canuti ad Laud.

Vesp. a Cap. de seq., Com. præced.

DIE 22 JANUARII

Ss. VINCENTII, ORONCII et VICTORIS

MARTYRUM EBREDUNENS.

Duplex

Offic. in Psalt. et in Comm. plur. Mm., præter seq.

Oratio

Omnípotens sempitérne Deus, qui sanctórum Mártyrum tuórum Vincéntii, Oróncii et Victóris córpora ad nóminis tui glóriam conserváre voluísti ; éxcita in méntibus nostris spem vitæ immortális, et ipsórum intercessióne, fac nos propter leges tuas córpora nostra despícere, ut in ætérnæ vitæ resurrectióne suscitári mereámur. Per Dóminum.

Et fit Com. præced. S. Agnetis Virg. et Mart., deinde Ss. Vincentii et Anastasii Mm. (Ant. Gaudent et ℣. Exsultábunt, e II Vesp. de Comm. plur. Mm.).

In I Nocturno Lect. de Script. occurr. cum Resp. de Temp.

In II Nocturno

Lectio iv

Vincéntius et Oróncius fratres, cum paréntes suos ad fidem Christi addux́issent, e Ciméla civitáte sua, in Alpibus marítimis sita, ad Gerundénsem urbem martyrii desidério incénsi venérunt. Ibi scílicet Rufínus Hispániæ Procónsul, jussu Imperatórum Diocletiáni et Maximiáni, atrocíssime sæviébat. Nacti

sunt vero in via Póntium Antístitem et Levítam Victórem, qui, Dei mónitu, in lustránda Hispánia ad confirmándos Christianórum ánimos, sanctis frátribus se cómites adjunxére. Hoc autem felíciter expléto pietátis offício, ad óppidum Juliánum, Victóris pátriam, revertúntur. Quo cum Rufínus admónitus accurrísset, Victórem gráviter incrépitum de sóciis intérrogat, qui eos in vicíno monte laudes Deo persólvere respóndet : hoc enim ut díceret, ipsi jússerant.

℟. Sancti tui, Dómine, mirábile consecúti sunt iter, serviéntes præcéptis tuis, ut inveniréntur illæsi in aquis válidis : * Terra appáruit árida et in Mari Rubro via sine impediménto. ℣. Quóniam percússit petram, et fluxérunt aquæ, et torréntes inundavérunt. Terra.

Lectio v

Eo profectus Præses, oratióni inténtos invénit, statímque eos mínis primum, deínde blandítiis, ad idolórum cultum pertráhere conátur : cumque nihil utráque arte profíceret, ambórum cápita ferro amputári mandat. Sacra eórum córpora clam colléctа Victor dómui suæ servat. Póntius ínterim noctúrnis oratiónibus insístens, divínitus admonétur ut Vincéntii et Oróncii córpora novo plaustro impósita in pátriam reportęntur. Quæ cura Victóri commíssa, álacri ánimo ab ipso suscípitur.

℟. Vérbera carníficum non timuérunt Sancti Dei, moriéntes pro Christi nómine, * Ut herédes fíerent in domo Dómini. ℣. Tradidérunt córpora sua propter Deum ad supplícia. Ut herédes.

Lectio vi

Id cum Rufíno renuntiátum esset, Victórem cápite truncári jubet. Sed divína providéntia Victóri substitúitur Hactor quidam nómine, qui, sanctórum Vincéntii, Oróncii et Victóris corpóribus plaustro impósitis, Angelórum ductu, Itáliam versus iter sumit. Cum autem Ebredúnum pervenísset ante cryptam judæi cujúsdam quæ

lapídibus quadris et pretiósis marmóribus constrúcta erat, Deo ita disponénte, boves currum ultérius tráhere non potuérunt. Quod cum e próximo animadvérteret présbyter, Arátor nómine, íllico ad sanctum Marcellínum, urbis Epíscopum, prodígium nuntiatúrus accúrrit. Ille, miráculo coram perspécto et narratióne Hactóris de re cértior factus, Clerum populúmque cónvocat, et, grátiis Deo peráctis, beatórum mártyrum córpora in crypta supra memoráta judæi baptísmum peténtis, magno cum honóre depónit ; ibíque sanctórum mérita plúribus miráculis Deus palam fácere dignátus est.

℟. Tamquam aurum in fornáce probávit eléctos Dóminus, et quasi holocáusti hóstiam accépit illos : et in témpore erit respéctus illórum : * Quóniam donum et pax est eléctis Dei. ℣. Qui confídunt in illum, intélligent veritátem : et fidéles in dilectióne acquiéscent illi. Quóniam. Glória Patri. Quóniam.

In III Noct. Homilia in Evang. Descéndens Jesus, de Comm. 2o loco.

Lectio ix de Ss. Vincentio et Anastasio, ut in Brev.

Ad Laudes fit Com. Ss. Vincentii et Anastasii Mm. (Ant. Istórum et ℣. Lætámini, e I Vesp.).

In II Vesp. fit Com. seq. S. Raymundi de Penafort, Ss. Mm. (Ant. Vestri capílli, e Laud. et ℣. Lætámini, e I Vesp.) et S. Emerentianæ Virg. et Mart.

DIE 28 JANUARII

SANCTI VINCENTII

EP. DINIENS. ET CONF.

Duplex

In Vesp. in Psalt. et in Comm.

Oratio

Deus, cujus ineffábili misericórdia beátus Conféssor tuus atque Póntifex Vincéntius, pátribus nostris evangelizávit investigábiles divítias Christi ; da nos, ejus intercessióne, créscere in sciéntia tua, et in omni ópere bono fructificántes, secúndum Evangélii veritátem coram te ambuláre. Per Dóminum.

Et fit Com. præced. S. Joannis Chrysostomi, S. Petri Nolasci Conf. (℣. Justum) et S. Agnetis Virg. et Mart. secundo.

In I Nocturno Lect. de Script. occurr. cum Resp. de Temp.

In II Nocturno

Lectio iv

VINCÉNTIUS ex Africa oriúndus, cum Domníno discípulo et Marcellíno Romam venit. Cum iis adit Eusébium Summum Pontíficem, suam ei ad excoléndum Domínicum agrum oblatúrus óperam. Póntifex benígne excéptos ad alúmnum suum Eusébium Vercellénsem antístitem mittit; a quo præcláre animáti, superátis Alpibus, Ebredúnum pervéniunt. Ibi, Vincéntius Marcellíno miníster adjutórque fuit strénuus. Crescénte autem de die in diem fidélium multitúdine, Marcellínus, Ebredunénsis Epíscopus ab Eusébio Vercellénsi jam creátus, ad fundándam Ecclésiam Vincéntium et Domnínum Díniam mittit.

℟. Invéni David servum meum, óleo sancto meo unxi eum : * Manus enim mea auxiliábitur ei. ℣. Nihil profíciet inimícus in eo, et fílius iniquitátis non nocébit ei. Manus.

Lectio v

IBI in subverténda idololatría Vincéntius, Evangélii propagándi zelo flagrantíssimus, non módicum laborávit. Máxime cláruit stúdio divinárum litterárum quas a pueritia didícerat, nec non mira comitáte et suávis elóquii grátia, quibus pagános ad Christum convertébat, omniúmque sibi ánimos conciliábat. Plúrimis oppréssus labóribus, cum plénius Deo frui desideráret, in solitúdinem se recépit, donec a Domníno revocátus est, qui, de imminénte sibi morte præmónitus, nóverat eum sibi in Episcopátu successórem divínitus destinátum. Illud munus vix assúmpsit coáctus, et ob suam exímiam humilitátem mox a Deo donátus fuit amplióri miraculórum grátia. Solo enim

véstium contáctu infírmos sanávit, oratióne vel étiam sola præséntia dæmones fugávit, mórtuos suscitávit.

℟. Pósui adjutórium super poténtem, et exaltávi eléctum de plebe mea : * Manus enim mea auxiliábitur ei. ℣. Invéni David servum meum, óleo sancto meo unxi eum. Manus.

Lectio vi

Episcopátu mérito auctus, lectióni, oratióni, jejúniis intendébat nec non hospitalitáti, omnibúsque christiánæ pietátis opéribus. Primo Valentíno concílio cum Arthémio Ebredunénsi intérfuit. Dénique cum in montem vicínum, sæpius ad oratiónem secédens, morbum contraxísset, Frátribus in Dómino convocátis, fidem, caritátem et exémplum beátæ Agnétis cujus festum hac ipsa die celebrabátur, longa oratióne comméndat. Sequénti vero die, explétis Láudibus, ánimam Deo réddidit, quarto Kaléndas Februárii.

℟. Iste est, qui ante Deum magnas virtútes operátus est, et omnis terra doctrína ejus repléta est : * Ipse intercédat pro peccátis ómnium populórum. ℣. Iste est, qui contémpsit vitam mundi, et pervénit ad cæléstia regna. Ipse intercédat. Glória Patri. Ipse intercédat.

In III Noct. Homil. in Evang. Homo péregre, de Comm. 1º loco.

Lectio ix de S. Petro Nolasco, ut in Brev.

Ad Laudes fit Commemoratio S. Petri Nolasci (℣. Amávit) et S. Agnetis.

Vesp. a Cap. seq. S. Francisci Salesii, Com. præc. et S. Petri Nolasci (℣. Os justi).

FESTA FEBRUARII

DIE 3 FEBRUARII

Ss. TIGIDIS et REMEDII

EPP. ET MARTYRUM VAPINCENSIUM

Duplex majus

In II Vesperis de Purific. B. Mariæ Virg. fit Com. Ss. Tigidis et Remedii Martyrum :

Oratio

Deus, qui nos sanctórum Mártyrum atque Pontíficum Tígidis et Remédii confessiónibus gloriósis circúmdas et prótegis ; da nobis, ipsórum méritis, propter te ómnia terréna detriméntum fácere et ad mortem usque tibi soli fírmiter adhærére. Per Dóminum.

In I Noct. Lect. de Script. occurr.

In II Nocturno

Lectio iv

Tígides et Remédius in primis sæculis Vapincénsem rexérunt Ecclésiam. Quámdiu sedem episcopálem tenúerint, an utérque hoc die mórtuus, non satis apértum est. Sed si incérta vitæ témpora, non sunt incérta vitæ sánctitas, morum innocéntia, indeféssa pastorális sollicitúdo, ómnium dénique virtútum laus. Qui, beáti Demétrii vestígia sectántes, cum Ecclésiæ quam ipse sánguine suo fundáverat multum profuíssent, étiam pro ea vitam dedére. Martyrio namque Vapínci affécti legúntur apud Martyrológium sub sancti Hierónymi nómine vulgátum.

℟. Sancti tui, Dómine, mirábile consecúti sunt iter, serviéntes præcéptis tuis, ut inveniréntur illæsi in aquis válidis : * Terra appáruit árida et in Mari Rubro via sine impediménto. ℣. Quóniam percússit petram et fluxérunt aquæ et torréntes inundavérunt. Terra.

Lectio v

In vetéribus Vapincénsis Ecclésiæ Breviáriis Offício ritus dúplicis sancti Pontífices colebántur, quod in Breviário anno septingentésimo sexagésimo quarto supra millésimum édito, ad símplicem memóriam, non sine reclamántibus Capítulo et Clero, depréssum fuit. Anno autem millésimo octingentésimo quadragésimo quinto, Reverendíssimus Joánnes-Irenæus Vapincénsis Epíscopus sanctæ ac venerábilis Ecclesiásticæ antiquitátis amantíssimus, atque sanctórum Ecclésiæ suæ Præsulum cultus promovéndi mérito studiósus,

beatórum Tígidis et Remédii festivitátem ad ritum dúplicem restítuit, Capítulo et Clero plaudéntibus.

℟. Vérbera carníficum non timuérunt Sancti Dei, moriéntes pro Christi nómine : * Ut herédes fíerent in domo Dómini. ℣. Tradidérunt córpora sua propter Deum ad supplícia. Ut herédes.

Lectio vi

Sancti Remédii relíquiæ diu Vapínci asservátæ, ineúnte sæculo décimo tértio, a Gallis equítibus e Locis Sacris redeúntibus Bórsium, hódie Tuteléensis diœcésis óppidum, translátæ sunt, ubi ad hæc usque témpora máximo honóri habéntur. Supradíctus vero Epíscopus tam sacri thesáuri parte Vapincénsem Ecclésiam ditáre cúpiens, postulátas apud Tuteléensem epíscopum quasdam partículas accépit, quæ decénti theca inclúsæ, certis diébus venerándæ exponúntur.

℟. Tamquam aurum in fornáce probávit eléctos Dóminus, et quasi holocáusti hóstiam accépit illos : et in témpore erit respéctus illórum : * Quóniam donum et pax est eléctis Dei. ℣. Qui confídunt in illum, intélligent veritátem : et fidéles in dilectióne acquiéscent illi. Quóniam. Glória Patri. Quóniam.

In III Nocturno Homilia in Evang. Cum audiéritis, de Comm. 1º loco.

Lectio ix de S. Blasio, ut in Brev.

Ad Laudes fit Com. S. Blasii.

In II Vesp. fit Com. seq. S. Andreæ Corsini.

DIE 13 FEBRUARII

S. DOMNINI
EPISCOPI DINIENSIS ET CONF.

Duplex

Offic. in Psalt. et in Comm. Conf. Pont. præter sequentia.

Oratio

Deus, qui ad patrum nostrórum illuminatiónem, beátum Domnínum Confessórem tuum atque Pontíficem prædicatiónis Evangélicæ glória sublimásti : præsta, quæsumus, ut quos per ipsíus documénta doná-

sti esse fidéles, virtútum imitatóres esse concédas. Per Dóminum.

Et fit Com. præced. Ss. Septem Fundatorum, et, in Quadrag., Feriæ.

In I Nocturno Lect. de Script. occurr. cum Resp. de Tempore. In Quadrag. Lect. Fidélis sermo, de Communi.

In II Nocturno

Lectio iv

DOMNÍNUS Afer, Vincéntii discípulus, relícta pátria et paréntibus, una cum magístro et Marcellíno Romam primum, deínde Vercéllas, ac tandem Ebredúnum venit, solo lucrándi ánimas desidério accénsus. Marcellíno assíduam præstitit óperam, donec fides in tota Ebredunénsi regióne dissemináta, radíces egit. Tunc sanctus Póntifex cogitávit de Domníno et Vincéntio Díniam mitténdis, ut civitátem idololatríæ pénitus déditam ad veri Dei cultum convérterent.

℟. Invéni David servum meum, óleo sancto meo unxi eum : * Manus enim mea auxiliábitur ei. ℣. Nihil profíciet inimícus in eo, et fílius iniquitátis non nocébit ei. Manus.

Lectio v

MOX Christi præcónes Díniam pervéniunt. Ibi contínua prædicatióne Christiánæ fídei dógmata expónunt, ímpios ritus tollunt, vítia extírpant. Cum autem Ethníci húmilem Apostolórum vitam et ignominiósam Christi mortem objícerent, præcónes evangélici laténtem sub hac spontánea abjectióne virtútem et humánæ salútis mystérium ipsos édocent. Signis étiam plúrimis verba confírmant. Multi enim languéntes et energúmeni, ex infidélium consénsu congregáti, omnes império Domníni et Vincéntii précibus, in testimónium veritátis, contremiscénte terra, liberáti sunt.

℟. Pósui adjutórium super poténtem, et exaltávi eléctum de plebe mea : * Manus enim mea auxiliábitur ei. ℣. Invéni David servum meum, óleo sancto meo unxi eum. Manus.

Lectio vi

Hoc tanto tamque multíplici miráculo permóti, pópuli ad salutáre lavácrum úndique confluébant. Constrúctam ítaque Ecclésiam in honóre Deíparæ Vírginis consecratúrus advénit Marcellínus, qui Domnínum simul cum templo cónsecrat, et primum Diniénsium Epíscopum constítuit. Quod ille munus réliquo vitæ témpore sanctíssime adimplévit. Tandem vicínæ mortis cónscius, Vincéntio sibi in successórem, Dei mónitu, designáto, Idibus Februárii quiévit in pace. Ad cujus venerábile sepúlcrum multas virtútes Deus operári dignátus est.

℟. Iste est, qui ante Deum magnas virtútes operátus est, et omnis terra doctrína ejus repléta est : * Ipse intercédat pro peccátis ómnium populórum. ℣. Iste est, qui contémpsit vitam mundi, et pervénit ad cæléstia regna. Ipse intercédat. Glória Patri. Ipse intercédat.

In III Nocturno Homilia in Evang. Vigiláte, de Comm. 2º loco.

In Quadrag. ix Lectio de Homilia Feriæ et fit ejus Com. ad Laudes.

In Vesp. fit Com. Feriæ in Quadrag., deinde seq. S. Valentini Presbyt. et Martyris.

FESTA MARTII

DIE 6 MARTII

SANCTÆ COLETÆ VIRGINIS

Duplex

Offic. in Psalt. et in Comm. Virg. præter seq.

Oratio

Dómine Jesu Christe, qui beátam Colétam Vírginem tuam cæléstibus donis cumulásti : tríbue, quæsumus ; ut ejus virtútes æmulántes in terris, gáudiis cum ipsa perfruámur ætérnis : Qui vivis.

Et fit Com. Ss. Perpetuæ et Felicitatis Mm. et in Quadrag. Feriæ.

In I Noct. Lect. De virgínibus præcéptum. Extra Quadrag. de Script. occurr.

In II Nocturno

Lectio iv

Picárdiæ cívitas Corbéja, diœcésis Ambianénsis, sanctæ Colétæ natálibus ex ma-

tre stérili et sexagenária, illústris effécta est. Hæc ab ineúnte ætáte cœpit ardéntius cólere offícia caritátis : ita ut quidquid habére póterat, hiláriter paupéribus largirétur. Orationi assídue vacans, solitária loca quærébat, ténerum ibi corpúsculum afflígens, jejúniis carnem spirítui subjíciens, caténa férrea cilicióque numquam aut raro depósitis, humi cubans, cum eam necessárius somnus occupábat. Quartum décimum ætátis annum agens, oratiónibus impetrávit a Dómino, ut corpus suum, quod exíguum remanébat, súbito ad justam magnitúdinem excréverit : ac vultus venústas, ne forte alícui occasiónem præbéret delinquéndi, in térreum colórem mutarétur. A dæmónibus frequénter lacessíta diversísque apparitiónibus exagitáta, vulneribúsque toto córpore laceráta, ab oratióne tamen numquam recedébat : in qua sæpe in éxtasim rapta, Angelórum visióne et collóquio potiebátur.

℟. Propter veritátem, et mansuetúdinem, et justítiam : * Et dedúcet te mirabíliter déxtera tua. ℣. Spécie tua et pulchritúdine tua inténde, próspere procéde, et regna. Et.

Lectio v

Facultátibus paupéribus distribútis, tértii órdinis sancti Francísci régulam proféssa, novas præcedéntibus austeritátes superáddens, in reclusórium secéssit ; ubi per triénnium moráta, vitam plane cæléstem aggréssa est, nudis semper pédibus, étiam híemis témpore incédens, et contínuis jejúniis corpus suum pene confíciens. Tum se ad reformándum Seráphici Francísci pene collápsum órdinem, a Deo várie admónita, destinári cognóvit : cui humíliter diu relúctans, linguæ oculorúmque usu depérdito, tandem voluntáti divínæ sese subjícere coácta est. Utróque autem sensu mox in íntegrum restitúto, divíno Spíritu affláta, apostólicæ Sedis adíre præséntiam decrévit, ut a Summo Pontífice prædictum

opus exsecutióni mandándi facultátem expósceret. A quo benedictióne accépta, susceptóque prædictæ reformatiónis mandáto, in pátriam rédiens, tantum opus alácriter inchoávit.

℟. Dilexísti justítiam, et odísti iniquitátem : * Proptérea unxit te Deus, Deus tuus, óleo lætítiæ. ℣. Propter veritátem, et mansuetúdinem, et justítiam. Proptérea.

Lectio vi

Cum autem summo stúdio, tam antíquis monastériis reformándis, quam novis exstruéndis incúmberet, ingruéntes difficultátes admirábili constántia superávit. Paupertátis semper studiosíssima fuit, única túnica, eáque districta conténta, angustíssimam cellam in ángulo habens, nulla supelléctili instrúctam, præter stramíneum saccum, qui ei pro léctulo erat. Caritáte, patiéntia, humilitáte, mansuetúdine, ceterísque virtútibus decoráta, dono étiam prophetíæ illústris, ábdita fídei mystéria divínitus edócta, ita penetrávit, ut de his altíssime disséreret. Multis tandem, et máximis patrátis miráculis, morte sua ante biénnium præcógnita, ómnibus Sacraméntis munita, hortatísque soróribus ad regulárem disciplínam, obdormívit in Dómino, prídie Nonas Mártii, anno millésimo quadringentésimo quadragésimo séptimo, Gandávi in Flándria, in monastério a se ædificáto ; in quo sacræ ejus relíquiæ assídua fidélium veneratióne primum excúltæ, póstremo a moniálibus e cœnóbio depúlsis, anno Dómini millésimo septingentésimo octogésimo tértio, Poliníacum, tunc Bisúntinæ diœcésis in Gállia, in Clarissárum monastérium translátæ fuérunt, ubi usque nunc piíssime asservántur. Eam dénique Pius séptimus Póntifex máximus, nono Kaléndas Június, anno octingentésimo séptimo supra millésimum, novis ritéque probátis prodígiis coruscántem, solémni pompa Sanctórum albo recénsuit.

℟. Afferéntur Regi Vírgines post eam, próximæ

ejus * Afferéntur tibi in lætítia et exsultatióne. ℣. Spécie tua et pulchritúdine tua inténde, próspere procéde, et regna. Afferéntur tibi. Glória Patri. Afferéntur tibi.

In III Noct. Homil. in Evang. Símile erit regnum cælórum decem virgínibus, de Comm. Virg. 1° loco.

In Quadrag., ix Lect. de Homil. Feriæ. Extra Quadrag. : Lectio ix de Ss. Perpetua et Felicitate Mm., ut in Brev.

Ad Laud. Com. Ss. Mm. et in Quadrag. Feriæ.

Vesp. a Capit. de seq. S. Thomæ Aquinatis Conf. et Eccl. Doct., Com. præced. et Ss. Mm. ac in Quadrag. Feriæ.

DIE 10 MARTII

SANCTI ARIGII

EP. VAPINCEN. ET CONF.

Duplex majus

Offic. in Psalt. et Comm. Conf. Pont. præter seq.

Oratio

DEUS, qui beátum Arígium Confessórem tuum atque Pontíficem, ad pascéndum pópulum tuum Spíritu veritátis et dilectiónis implevísti : multíplica in nobis, ipsíus intercessióne, eúmdem grátiæ Spíritum ; ut et gregis tui profíciat ubíque succéssus, et grati fiant nómini tuo, te gubernánte, pastóres. Per Dóminum... in unitáte ejúsdem.

Et fit Com. præced. S. Franciscæ Vid. Romanæ, deinde Ss. Quadraginta Mm. et Feriæ.

In I Noct. Lect. Fidélis sermo, de Comm.

In I Nocturno

Lectio iv

ARÍGIUS sive Arídius illústri inter Francos prosápia natus in província Burgúndiæ, biénnis a paréntibus Deo oblátus est in basílica sancti Vincéntii Cabillonénsis, ibíque baptizátus ab epíscopo, qui piæ educatiónis púeri curam in se suscépit. Júvenis quidem, sed morum sanctitáte et sapiéntia jam matúrus, per síngulos gradus ad presbyterátum usque promótus fuit. Tunc rector Morgénsis pópuli in eádem

Diœcési efféctus, gregem sibi créditum verbi divíni pábulo, atque virtútum ómnium exémplo per annos quatuórdecim páscere non déstitit. Intérea, depósito propter nefánda Sagittário Vapincénsi præsule in concílio Cabillonénsi anni quingentésimi septuagésimi noni, in locum Sagittárii Arígium Ecclésiæ desolátæ Patres suffecérunt. Omnes pastorális offícii partes indeféssa sollicitúdine implévit Arígius. Oratióni et ministério verbi licet inténtus, ipse étiam cléricos adolescéntes informábat, ut sciéntia pietáteque præstántes sibi ministros paráret. Própriæ perfectiónis ávidus, contínuis pœniténtiæ labóribus et vigíliis assiduíssimis corpus suum ita secréto castigábat, ut némini ante mortem ejus innotéscerent. Sed Deo gratus multis cláruit miráculis.

℟. Invéni David servum meum, óleo sancto meo unxi eum : * Manus enim mea auxiliábitur ei. ℣. Nihil profíciet inimícus in eo, et fílius iniquitátis non nocébit ei. Manus.

Lectio v

Cum sanctióribus Galliárum epíscopis amicítiæ fœdere junctus, ipsos adjúvit in ómnibus quæ ad utilitátem Ecclésiæ pertinébant. Anno quingentésimo octogésimo quarto, subscrípsit Concílio Valentíno, et anno sequénti, Matisconénsi secúndo, in quo de cultu diéi Domínicæ restituéndo actum est ; cujus negligéntiam per morbórum plagas, agrórum sterilitátem, alíaque flagélla temporália a Deo puníri ásserunt concílii Patres. Singuláris fuit Gregórii Magni Papæ benevoléntia in Arígium ; quem ad límina Apostolórum veniéntem, non solum honorífice excépit Summus Póntifex, sed et virtútem ejus mirátus, públice testátus est se numquam ex plúribus sanctis Gálliæ epíscopis qui Romam petíerant, ullum parem Arígio invenísse. In hujúsce singuláris benevoléntiæ testimónium Gregórius usum dalmáticæ Arígio concéssit, ipsíque presbyteros

in Británniam ad Augustínum missos commendáre consuéverat.

℟. Pósui adjutórium super poténtem, et exaltávi eléctum de plebe mea : * Manus enim mea auxiliábitur ei. ℣. Invéni David servum meum, óleo sancto meo unxi eum. Manus.

Lectio vi

Arígius vicíssim Gregórii et sanctitátem et doctrínam imitándas sibi propósuit : ac non nisi máximo ánimi dolóre, mutuísque flétibus ab ínvicem separáti, sola spe uniónis ætérnæ in cæléSti pátria, mútuo sese consoláti sunt. Sanctæ amicítiæ odórem rédolent tres beáti Gregórii ad Arígium Epístolæ, in quibus laudat ejus in adversitátibus patiéntiam et zelum ímpigrum advérsus simoníacam labem. Morti próximus Arígius, ipsam cum gáudio aspíciens, ad altáre sancti Eusébii se deférri jussit, ibíque humi in cínere stratus, solóque coopértus cilício, viáticum córporis et sánguinis Dómini ab Hesíchio Gratianopolitáno Epíscopo devóte accépit. Mórtuus est eódem anno quo sanctus Gregórius, ut quos in terris de duóbus unum fécerat cáritas, mors non separáret ejúsdem glóriæ partícipes. Ecclésia sancto Pontífici dicáta diu ad occidentálem civitátis plagam éxstitit ; éaque régio sancti Arígii nomen hódie étiam óbtinet. Ad augéndam perennémque servándam memóriam sanctíssimæ illíus amicítiæ quæ inter apostólicos viros Gregórium Magnum et Arígium intercéssit, necnon ut Ecclésiæ Vapincénsis Clerus et pópulus véluti ob óculos propósitis hisce duóbus beatíssimis viris nova ac nova in dies magis charísmata et virtútes æmuléntur, anno millésimo octingentésimo quinquagésimo tértio, Pius nonus, Póntifex máximus, Joánnis Irenæi, Vapincénsis Epíscopi illiúsque Cathedrális Ecclésiæ Capítuli postulatiónibus ánnuens, auctoritáte apostólica, in perpétuum síngulis Epíscopis et Canónicis Vapincénsis Ecclésiæ privilégium concéssit crucem

argénteam alba superfície super vestes chorâles gestándi, in médio habéntem numísma réferens ex advérsa parte imáginem sancti Gregórii Magni, avérsa autem sancti Arígii imáginem.

℟. Iste est, qui ante Deum magnas virtútes operátus est, et omnis terra doctrína ejus repléta est : * Ipse intercédat pro peccátis ómnium populórum. ℣. Iste est, qui contémpsit vitam mundi, et pervénit ad cæléstia regna. Ipse intercédat. Glória Patri. Ipse intercédat.

In III Nocturno, Homilia in Evang. Vigiláte, de Comm. 2o loco.

Lect. ix de Hom. Fer. et fit ejus Com. et Ss. Mm. ad Laud. et in II Vesp.

DIE 13 MARTII

SANCTI ELDRADI

NOVALICIENSIS ABBATIS

Semiduplex

In II Vesp. præc. S. Gregorii I Papæ et Conf. fit Commemoratio S. Eldradi : Ant. Similábo, ℣. Amávit, de Comm. Conf. non Pont.

Oratio

Deus, qui nos beatíssimi Eldrádi Abbátis lætíficas commemoratióne solémni : da nobis, quæsumus, ejus pérfrui ætérno consórtio, cujus festívo gratulámur offício. (Per Dóminum.)

Deinde fit Com. Feriæ.

In I Nocturno Lect. de Comm. Abb.

In II Nocturno

Lectio iv

Eldrádus, nóbili génere natus in extrémæ Provínciæ vico prope flumen Deráusum Alpínis móntibus úndique septo, nómine Ambéllo, olim Vapincénsis, hódie Gratianopolitánæ diœcésis, ab ineúnte ætáte pietátis opéribus mire déditus, amplas facultátes suas ecclésiæ et xenodóchio inibi ædificándis ac dotándis impéndit. Defúnctis paréntibus, relíctam sibi substántiam partim ecclésiis, partim paupéribus distríbuit. Mox perfectióris vitæ desidério Gálliam, Hispániam, Italiámque peragrávit, sícubi inveníret áliquod cœnóbium ártius

et in divínis offíciis studiósus. Florébat tunc in subalpínis ad radíces montis Cinésii, non longe a Segúsio óppido, præcípuum monastérium nómine Novalícium, in quo quingentórum monachórum agmen Dómino digníssime militábat. Quorum conversatióne illéctus, suscépto ibi monástico hábitu, ad óptima quæque exténdens seípsum, brevi quidquid ad regulárem perfectiónem confert et edóctus est et exércuit. Itaque septem post annis mórtuo Hugóne, Cároli magni fílio, ejúsdem monastérii abbáte, Eldrádus, unánimi ómnium consénsu, invítus licet nec nisi vi compúlsus, ei subrogátus est.

℟. Honéstum fecit illum Dóminus, et custodívit eum ab inimícis, et a seductóribus tutávit illum : * Et dedit illi claritátem ætérnam. ℣. Justum dedúxit Dóminus per vias rectas, et osténdit illi regnum Dei. Et dedit.

Lectio v

Enitébant in sancto viro virtútes omnes, præcípue vero cástitas illibáta, jugis benígnitas, exímius reguláris observántiæ zelus, insígnis sapiéntia. Cunctos et sacris exémplis et sanctióribus oráculis ad meliórem semper frugem excitábat. Cum vero novum in valle Brigantiénsi monastérium discípulos ædificáre jussísset, jamque opus ad optátum finem appropinquáret, serpéntium ínibi reptántium multitúdinem et infestatiónem mónachi ferre non valéntes ad sanctum abbátem confugérunt, qui ad prædíctum locum véniens, serpéntibus in unum divína virtúte congregátis, férula, quam manu tenébat, præcépit ut præeúntem se sequeréntur, eósque in cóncavum locum glomerátim addúctos, certos fines excédere vétuit. Res mira, Dei servo serpéntes obédiunt, et quod ore imperat, hoc fidéliter complent ópere. Multa sunt ália quæ vir sanctus vel adhuc júvenis, vel suscépta Christi milítia Deo juvánte mirabíliter patrávit.

℟. Amávit eum Dóminus, et ornávit eum :

stolam glóriæ índuit eum, * Et ad portas paradísi coronávit eum. ℣. Induit eum Dóminus lorícam fídei, et ornávit eum. Et ad portas.

Lectio vi

Quarta die ántequam ex hac vita migráret, mónachis ad se convocátis álacri vultu óbitum suum jam imminéntem denuntiávit, eósque veheménter afflíctos ad perfectiónis stúdium magis ac magis incéndit. Dénique elevátis óculis ad cælum, quo spíritus inténtus semper fúerat, viáticum domínicæ communiónis expétiit ac religióse suscépit, sicque inter discipulórum manus, lácrimas et suspíria, ánimam Deo réddidit tértio Idus Mártii, anno círciter octingentésimo quadragésimo, ibidémque sepúltus est. Innúmera pœne miràcula ad ejus sepúlcrum Dóminus operátus est : ejus quippe intercéssio inter ália mutis loquélam, surdis audítum, claudis gressum, morbis sanitátem, mórtuis vitam restítuit. Memorátur oratórium ejus nómine olim Ambélli constrúctum. Ejus cultum ab immemorábili témpore præstitum Pius Papa décimus confirmávit.

℟. Iste homo perfécit ómnia, quæ locútus est ei Deus, et dixit ad eum : Ingrédere in réquiem meam : * Quia te vidi justum coram me ex ómnibus géntibus. ℣. Iste est, qui contémpsit vitam mundi, et pervénit ad cæléstia regna. Quia. Glória Patri. Quia.

In III Nocturno Homilia in Evang. Ecce nos relíquimus, de Comm. Abbat. 3o loco.

Lectio ix de Homil. Feriæ, cujus fit Com. ad Laud.

INDEX

JANUARII

17 S. Rossolinæ Virg., *dupl.* 3
19 S. Peladii Ep. Ebredun. et Conf., *dupl.* 5
22 Ss. Vincentii, Oroncii et Victoris Mm., *dupl.* 8
28 S. Vincentii Ep. Diniens. et Conf., *dupl.* 10

FEBRUARII

3 Ss. Tigidis et Remedii Epp. et Mm., *dupl. maj.* 12
13 S. Domnini Ep. Diniens. et Conf., *dupl.* 14

MARTII

6 S. Coletæ Virg., *dupl.* 16
10 S. Arigii Ep. et Conf., *dupl. maj.* 19
13 S. Eldradi Abb., *semidupl.* 22

Concordat cum originali

Vapinci, die 5 Decembris 1948.

† AUGUSTUS-CALLISTUS

Episc. Vap.

Imprimatur.

Turonibus, die xxx Martii MCMXLIX.

† LUDOVICUS-JOSEPHUS

Archiepisc. Turon.

Imprimé en France.

859-1949 — Turonibus, typis Mame.

Dépôt légal: 2e trimestre 1949.

OFFICIA PROPRIA

AD USUM DIŒCESIS

VAPINCENSIS

A S. R. CONGREGATIONE APPROBATA

AC DE MANDATO


ILLUSTRISSIMI AC REVERENDISSIMI

DD. AUGUSTI-CALLISTI BONNABEL

VAPINCENSIS EPISCOPI

EDITA

PARS VERNA



TURONIBUS

SUMPTIBUS ET TYPIS MAME

SANCTÆ SEDIS APOSTOLICÆ ET SACRÆ RITUUM CONGREGATIONIS
TYPOGRAPHORUM

OFFICIA PROPRIA
DIŒCESIS VAPINCENSIS

PARS VERNA

FESTA MARTII

DIE 6 MARTII

SANCTÆ COLETÆ
VIRGINIS

Duplex

Offic. in Psalt. et in Comm. Virg. præter seq.

Oratio

DÓMINE Jesu Christe, qui beátam Colétam Vírginem tuam cæléstibus donis cumulásti : tríbue, quæsumus ; ut ejus virtútes æmulántes in terris, gáudiis cum ipsa perfruámur ætérnis : Qui vivis.

Et fit Com. Ss. Perpetuæ et Felicitatis Mm. et Feriæ.

In I Noct. Lect. De virgínibus præcéptum.

In II Nocturno

Lectio iv

PICÁRDIÆ cívitas Corbéja, diœcésis Ambianénsis, sanctæ Colétæ natálibus ex matre stérili et sexagenária, illústris effécta est. Hæc ab ineúnte ætáte cœpit ardéntius cólere offícia caritátis : ita ut quidquid habére póterat, hiláriter paupéribus largirétur. Oratióni assídue vacans, solitária loca quærébat, ténerum ibi corpúsculum afflígens, jejúniis carnem spirítui subjíciens, caténa férrea cilicióque numquam aut raro depósitis, humi cubans, cum eam necessárius somnus occupábat. Quartum décimum ætátis annum

agens, oratiónibus impetrávit a Dómino, ut corpus suum, quod exiguum remanébat, súbito ad justam magnitúdinem excréverit : ac vultus venústas, ne forte alícui occasiónem præbéret delinquéndi, in térreum colórem mutarétur. A dæmónibus frequénter lacessíta diversísque apparitiónibus exagitáta, vulneribúsque toto córpore laceráta, ab oratióne tamen numquam recedébat : in qua sæpe in éxtasim rapta, Angelórum visióne et collóquio potiebátur.

℟. Propter veritátem, et mansuetúdinem, et justítiam : * Et dedúcet te mirabíliter déxtera tua. ℣. Spécie tua et pulchritúdine tua inténde, próspere procéde, et regna. Et.

Lectio v

Facultátibus paupéribus distribútis, tértii órdinis sancti Francísci régulam proféssa, novas præcedéntibus austeritátes superáddens, in reclusórium secéssit ; ubi per triénnium moráta, vitam plane cæléstem aggréssa est, nudis semper pédibus, étiam hiemis témpore incédens, et contínuis jejúniis corpus suum pene confíciens. Tum se ad reformándum Seráphici Francísci pene collápsum órdinem, a Deo várie admónita, destinári cognóvit : cui humíliter diu relúctans, linguæ oculorúmque usu depérdito, tandem voluntáti divínæ sese subjícere coácta est. Utróque autem sensu mox in íntegrum restitúto, divíno Spíritu affláta, apostólicæ Sedis adíre præséntiam decrévit, ut a Summo Pontífice prædíctum opus exsecutióni mandándi facultátem expósceret. A quo benedictióne accépta, susceptóque prædíctæ reformatiónis mandáto, in pátriam rédiens, tantum opus alácriter inchoávit.

℟. Dilexísti justítiam, et odísti iniquitátem : * Proptérea unxit te Deus, Deus tuus, óleo lætítiæ. ℣. Propter veritátem, et mansuetúdinem, et justítiam. Proptérea.

Lectio vi

Cum autem summo stúdio, tam antíquis monastériis reformándis, quam novis exstruén-

dis incúmberet, ingruéntes difficultátes admirábili constántia superávit. Paupertátis semper studiosíssima fuit, única túnica, eáque districta conténta, angustíssimam cellam in ángulo habens, nulla supelléctili instrúctam, præter stramíneum saccum, qui ei pro léctulo erat. Caritáte, patiéntia, humilitáte, mansuetúdine, ceteríque virtútibus decoráta, dono étiam prophetíæ illústris, ábdita fídei mystéria divínitus edócta, ita penetrávit, ut de his altíssime disséreret. Multis tandem, et máximis patrátis miráculis, morte sua ante biénnium præcógnita, ómnibus Sacraméntis muníta, hortatísque soróribus ad regulárem disciplínam, obdormívit in Dómino, prídie Nonas Mártii, anno millésimo quadringentésimo quadragésimo séptimo, Gandávi in Flándria, in monastério a se ædificáto; in quo sacræ ejus relíquiæ assídua fidélium veneratióne primum excúltæ, póstremo a moniálibus e cœnóbio depúlsis, anno Dómini millésimo septingentésimo octogésimo tértio, Poliníacum, tunc Bisúntinæ diœcésis in Gállia, in Clarissárum monastérium translátæ fuérunt, ubi usque nunc piíssime asservántur. Eam dénique Pius séptimus Póntifex máximus, nono Kaléndas Júnii, anno octingentésimo séptimo supra millésimum, novis ritéque probátis prodígiis coruscántem, solémni pompa Sanctórum albo recénsuit.

℟. Afferéntur Regi vírgines post eam, próximæ ejus * Afferéntur tibi in lætítia et exsultatióne. ℣. Spécie tua et pulchritúdine tua inténde, próspere procéde, et regna. Afferéntur tibi. Glória Patri. Afferéntur tibi.

In III Noct. Homil. in Evang. Símile erit regnum cælórum decem virgínibus, de Comm. Virg. 1° loco.

Lect. ix de Homil. Feriæ, et de ea fit Com. ad Laud. post Com. Ss. Mm.

Vesp. a Capit. de seq. S. Thomæ Aquinatis Conf. et Eccl. Doct., Com. præced., Ss. Mm. et Feriæ.

DIE 10 MARTII

SANCTI ARIGII

EP. VAPINCEN. ET CONF.

Duplex majus

Offic. in Psalt. et in Comm. Conf. Pont. præter seq.

Oratio

Deus, qui beátum Arígium Confessórem tuum atque Pontíficem, ad pascéndum pópulum tuum Spíritu veritátis et dilectiónis implevísti : multíplica in nobis, ipsíus intercessióne, eúmdem grátiæ Spíritum ; ut et gregis tui profíciat ubíque succéssus, et grati fiant nómini tuo, te gubernánte, pastóres. Per Dóminum... in unitáte ejúsdem.

Et fit Com. præced. S. Franciscæ Vid. Romanæ, deinde Ss. Quadraginta Mm. et Feriæ.

In I Noct. Lect. Fidélis sermo, de Comm.

In II Nocturno

Lectio iv

Arígius sive Arídius illústri inter Francos prosápia natus in província Burgúndiæ, biénnis a paréntibus Deo oblátus est in basílica sancti Vincéntii Cabillonénsis, ibíque baptizátus ab epíscopo, qui piæ educatiónis púeri curam in se suscépit. Júvenis quidem, sed morum sanctitáte et sapiéntia jam matúrus, per síngulos gradus ad presbyterátum usque promótus fuit. Tunc rector Morgénsis pópuli in eádem Diœcési efféctus, gregem sibi créditum verbi divíni pábulo, atque virtútum ómnium exémplo per annos quatuórdecim páscere non déstitit. Intérea, depósito propter nefánda Sagittário Vapincénsi præsule in concílio Cabillonénsi anni quingentésimi septuagésimi noni, in locum Sagittárii Arígium Ecclésiæ desolátæ Patres suffecérunt. Omnes pastorális offícii partes indeféssa sollicitúdine implévit Arígius. Oratióni et ministério verbi licet inténtus, ipse étiam cléricos adolescéntes informábat, ut sciéntia pietáteque præstántes sibi comminístros paráret. Própriæ perfectiónis ávidus, con-

tinuis pœniténtiæ labóribus et vigiliis assiduissimis corpus suum ita secréto castigábat, ut némini ante mortem ejus innotéscerent. Sed Deo gratus multis cláruit miráculis.

℟. Invéni David servum meum, óleo sancto meo unxi eum : * Manus enim mea auxiliábitur ei. ℣. Nihil profíciet inimícus in eo, et fílius iniquitátis non nocébit ei. Manus.

Lectio v

CUM sanctióribus Galliárum epíscopis amicítiæ fœdere junctus, ipsos adjúvit in ómnibus quæ ad utilitátem Ecclésiæ pertinébant. Anno quingentésimo octogésimo quarto, subscrípsit Concílio Valentíno, et anno sequénti, Matisconénsi secúndo, in quo de cultu diéi Domínicæ restituéndo actum est ; cujus negligéntiam per morbórum plagas, agrórum sterilitátem, alíaque flagélla temporália a Deo puníri ásserunt concílii Patres. Singuláris fuit Gregórii Magni Papæ benevoléntia in Arígium ; quem ad límina Apostolórum veniéntem, non solum honorífice excépit Summus Póntifex, sed et virtútem ejus mirátus, públice testátus est se numquam ex plúribus sanctis Gálliæ epíscopis qui Romam petíerant, ullum parem Arígio invenísse. In hujúsce singuláris benevoléntiæ testimónium Gregórius usum dalmáticæ Arígio concéssit, ipsíque presbyteros in Británniam ad Augustínum missos commendáre consuéverat.

℟. Pósui adjutórium super poténtem, et exaltávi eléctum de plebe mea : * Manus enim mea auxiliábitur ei. ℣. Invéni David servum meum, óleo sancto meo unxi eum. Manus.

Lectio vi

ARÍGIUS vicíssim Gregórii et sanctitátem et doctrínam imitándas sibi propósuit : ac non nisi máximo ánimi dolóre, mutuísque flétibus ab ínvicem separáti, sola spe uniónis ætérnæ in cælésti pátria, mútuo sese consoláti sunt. Sanctæ amicítiæ odórem rédolent tres beáti Gregórii ad Arígium Epístolæ, in quibus

laudat ejus in adversitátibus patiéntiam et zelum impigrum advérsus simoníacam labem. Morti próximus Arígius, ipsam cum gáudio aspíciens, ad altáre sancti Eusébii se deférri jussit, ibíque humi in cínere stratus, solóque coopértus cilício, viáticum córporis et sánguinis Dómini ab Hesíchio Gratianopolitáno epíscopo devóte accépit. Mórtuus est eódem anno quo sanctus Gregórius, ut quos in terris de duóbus unum fécerat cáritas, mors non separáret ejúsdem glóriæ partícipes. Ecclésia sancto Pontífici dicáta diu ad occidentálem civitátis plagam éxstitit; éaque régio sancti Arígii nomen hódie étiam óbtinet. Ad augéndam perennémque servándam memóriam sanctíssimæ illíus amicítiæ quæ inter apostólicos viros Gregórium Magnum et Arígium intercéssit, nec non ut Ecclésiæ Vapincénsis clerus et pópulus véluti ob óculos propósitis hisce duóbus beatíssimis viris nova ac nova in dies magis charísmata et virtútes æmuléntur, anno millésimo octingentésimo quinquagésimo tértio, Pius nonus, Póntifex máximus, Joánnis Irenæi, Vapincénsis epíscopi illiúsque cathedrális Ecclésiæ Capítuli postulatiónibus ánnuens, auctoritáte apostólica, in perpétuum síngulis epíscopis et canónicis Vapincénsis Ecclésiæ privilégium concéssit crucem argénteam alba superfície super vestes choráles gestándi, in médio habéntem numísma réferens ex advérsa parte imáginem sancti Gregórii Magni, avérsa autem sancti Arígii imáginem.

℟. Iste est, qui ante Deum magnas virtútes operátus est, et omnis terra doctrína ejus repléta est : * Ipse intercédat pro peccátis ómnium populórum. ℣. Iste est, qui contémpsit vitam mundi, et pervénit ad cæléstia regna. Ipse. Glória Patri. Ipse.

In III Noct. Homil. in Evang. Vigiláte, de Comm. 2º loco.

Lectio ix de Homil. Feriæ et fit Com. Ss. Mm. et Feriæ ad Laud. et in II Vesp.

DIE 13 MARTII

SANCTI ELDRADI

NOVALICIENSIS ABBATIS

Semiduplex

In II Vesp. præc. S. Gregorii I Papæ et Conf. fit Com. S. Eldradi : Ant. Similábo, ℣. Amávit, de Com. Conf. non Pont.

Oratio

Deus, qui nos beatíssimi Eldrádis Abbátis lætíficas commemoratióne solémni : da nobis, quæsumus, ejus pérfrui ætérno consórtio, cujus festívo gratulámur offício. (Per Dóminum.)

Deinde fit Com. Fériæ.

In I Nocturno, Lect. de Comm. Abb.

In II Nocturno

Lectio iv

Eldrádus, nóbili génere natus in extrémæ Provínciæ vico prope flumen Deráusum Alpínis móntibus úndique septo, nómine Ambéllo, olim Vapincénsis, hódie Gratianopolitánæ diœcésis, ab ineúnte ætáte pietátis opéribus mire déditus, amplas facultátes suas ecclésiæ et xenodóchio inibi ædificándis ac dotándis impéndit. Defúnctis paréntibus, relíctam sibi substántiam partim ecclésiis, partim paupéribus distríbuit. Mox perfectióris vitæ desidério Gálliam, Hispániam, Italiámque peragrávit, sícubi inveníret áliquod cœnóbium ártius et in divínis offíciis studiósus. Florébat tunc in subalpínis ad radíces montis Cinésii, non longe a Segúsio óppido, præcípuum monastérium nómine Novalícium, in quo quingentórum monachórum agmen Dómino digníssime militábat. Quorum conversatióne illéctus, suscépto ibi monástico hábitu, ad óptima quæque exténdens seípsum, brevi quidquid ad regulárem perfectiónem confert et edóctus est et exércuit. Itaque septem post annis mórtuo Hugóne, Cároli magni fílio, ejúsdem monastérii abbáte, Eldrádus, unánimi ómnium consénsu, invítus licet nec nisi vi compúlsus, ei subrogátus est.

℟. Honéstum fecit illum Dóminus, et custodívit eum ab inimícis, et a seductóribus tutávit illum : * Et dedit illi claritátem ætérnam. ℣. Justum dedúxit Dóminus per vias rectas, et osténdit illi regnum Dei. Et dedit.

Lectio v

Enitébant in sancto viro virtútes omnes, præcípue vero cástitas illibáta, jugis benígnitas, exímius reguláris observántiæ zelus, insígnis sapiéntia. Cunctos et sacris exémplis et sanctióribus oráculis ad melióorem semper frugem excitábat. Cum vero novum in valle Brigantiénsi monastérium discípulos ædificáre jussísset, jamque opus ad optátum finem appropinquáret, serpéntium ínibi reptántium multitúdinem et infestatiónem mónachi ferre non valéntes ad sanctum abbátem confugérunt, qui ad prædíctum locum véniens, serpéntibus in unum divína virtúte congregátis, férula, quam manu tenébat, præcépit ut præeúntem se sequeréntur, eósque in cóncavum locum glomerátim addúctos, certos fines excédere vétuit. Res mira, Dei servo serpéntes obédiunt, et quod ore ímperat, hoc fidéliter complent ópere. Multa sunt ália quæ vir sanctus vel adhuc júvenis, vel suscépta Christi milítia Deo juvánte mirabíliter patrávit.

℟. Amávit eum Dóminus, et ornávit eum : stolam glóriæ índuit eum, * Et ad portas paradísi coronávit eum. ℣. Induit eum Dóminus lorícam fídei, et ornávit eum. Et ad portas.

Lectio vi

Quarta die ántequam ex hac vita migráret, mónachis ad se convocátis álacri vultu óbitum suum jam imminéntem denuntiávit, eósque veheménter afflíctos ad perfectiónis stúdium magis ac magis incéndit. Dénique elevátis óculis ad cælum, quo spíritus inténtus semper fúerat, viáticum domínicæ communiónis expétiit ac religióse suscépit, sicque inter discipulórum ma-

nus, lácrimas et suspíria, ánimam Deo réddidit tértio Idus Mártii, anno círciter octingentésimo quadragésimo, ibidémque sepúltus est. Innúmera pœne mirácula ad ejus sepúlcrum Dóminus operátus est : ejus quippe intercéssio inter ália mutis loquélam, surdis audítum, claudis gressum, morbis sanitátem, mórtuis vitam restítuit. Memorátur oratórium ejus nómine olim Ambélli constrúctum. Ejus cultum ab immemorábili témpore præstitum Pius Papa décimus confirmávit.

℟. Iste homo perfécit ómnia, quæ locútus est ei Deus, et dixit ad eum : Ingrédere in réquiem meam : * Quia te vidi justum coram me ex ómnibus géntibus. ℣. Iste est, qui contémpsit vitam mundi, et pervénit ad cæléstia regna. Quia. Glória Patri. Quia.

In III Nocturno Homilia in Evang. Ecce nos relíquimus, de Comm. Abbat. 3° loco.

Lectio ix de Homil. Feriæ, cujus fit Com. ad Laud.

FESTA APRILIS

DIE 5 APRILIS

S. VINCENTII FERRERII CONFESSORIS

Duplex majus

Offic. in Psalt. et in Comm. Conf. non Pont. præter seq.

Oratio

Deus, qui Ecclésiam tuam beáti Vincéntii Confessóris tui méritis et prædicatióne illustráre dignátus es : concéde nobis fámulis tuis ; ut et ipsíus instruámur exémplis, et ab ómnibus, ejus patrocínio, liberémur advérsis. Per Dóminum.

Et fit Com. præced. S. Isidori et Fer. in Quadrag.

In I Noct. in Quadrag. Lect. Beátus vir, de Communi 1° loco.

In II Nocturno

Lectio iv

Vincéntius, honésta stirpe Valéntiæ, in Hispánia natus, ab ineúnte ætáte cor gessit senile. Qui dum calginósi hujus sæculi lábilem cursum pro

ingénii sui módulo consideráret, religiónis hábitum in órdine Prædicatórum décimo octávo ætátis suæ anno suscépit, et emíssa solémni professióne, sacris lítteris sédulo incúmbens, theologíæ láuream summa cum laude consecútus est. Mox obténta a superióribus licéntia, verbum Dei prædicáre, Judæórum perfídiam argúere, Saracenórum erróres confutáre tanta virtúte et efficácia cœpit, ut ingéntem ipsórum infidélium multitúdinem ad Christi fidem perdúxerit, et multa Christianórum míllia, a peccátis ad pœniténtiam, a vítiis ad virtútem revocárit. Eléctus enim a Deo, ut mónita salútis in omnes gentes, tribus et linguas diffúnderet, et extrémi tremendíque judícii diem appropinquáre osténderet, ómnium auditórum ánimos terróre concússos, atque a terrénis afféctibus avúlsos, ad Dei amórem excitábat.

℟. Honéstum fecit illum Dóminus, et custodívit eum ab inimícis, et a seductóribus tutávit illum : * Et dedit illi claritátem ætérnam. (T. P. allelúja). ℣. Justum dedúxit Dóminus per vias rectas, et osténdit illi regnum Dei. Et dedit.

Lectio v

INFATIGÁBILIS Evangélii præco plúrimas Európæ províncias, Galliárum præsértim, cum ingénti animárum fructu peragrávit. Ebredunénsem Diœcésim evangelizávit ; quod ipse, anno millésimo quadringentésimo tértio, die vero décima séptima Decémbris, in Epístola ad Superiórem Generálem sui Ordinis sic testátur : « Nóverit vestra Patérnitas Reverendíssima quod postquam recéssi de Románis, ubi me último demisístis, per tres menses contínuos fui adhuc in Delphinátu prædicándo in circúitu verbum Dei per civitátes, castra et villas, in quibus nondum fúeram, præcípue tamen visitávi tres illas famósas valles hæreticórum in Diœcési Ebredunénsi, quarum una vocátur Fluxérna, áltera Argénteia, tértia Vallis pura olim

péssima. Jam ántea quidem visitáveram eas bis vel ter, et cum devotióne et reveréntia magna per grátiam Dei suscéperant doctrínam cathólicæ veritátis, sed ad eórum consolatiónem et confirmatiónem íterum vólui eas visitáre. »

℟. Amávit eum Dóminus, et ornávit eum : stolam glóriæ índuit eum, * Et ad portas paradísi coronávit eum (T. P. allelúja). ℣. Induit eum Dóminus loricam fídei, et ornávit eum. Et ad portas.

Lectio vi

In hoc autem Apostólico múnere hic vitæ ejus tenor perpétuus fuit : Quotídie Missam summo mane cum cantu celebrávit ; quotídie ad pópulum conciónem hábuit ; inviolábile semper jejúnium, nisi urgens adésset necéssitas, servávit ; sancta et recta consília nulli denegávit ; carnes numquam comédit, nec vestem líneam índuit : populórum júrgia sedávit, dissidéntia regna pace compósuit, et cum vestis inconsútilis Ecclésiæ diro schísmate scinderétur ut unirétur et uníta servarétur, perplúrimum laborávit. Virtútibus ómnibus cláruit, suósque detractóres et persecutóres, in simplicitáte et humilitáte ámbulans, cum mansuetúdine recépit et ampléxus est. Per ipsum divína virtus, in confirmatiónem vitæ et prædicatiónis ejus, multa signa et mirácula fecit. Nam frequentíssime super ægrótos manus impósuit, et sanitátem adépti sunt, spíritus immúndos e corpóribus éxpulit ; surdis audítum, mutis loquélam, cæcis visum restítuit, leprósos mundávit, mórtuos suscitávit. Sénio tandem et morbo conféctus, Venétiæ in Británnia minóri prædicatiónis et vitæ cursum felíciter consummávit, anno salútis millésimo quadringentésimo décimo nono ; quem Callístus tértius Sanctórum número adscrípsit.

℟. Iste homo perfécit ómnia, quæ locútus est ei Deus, et dixit ad eum : Ingrédere in réquiem meam : * Quia te vidi justum coram me ex

ómnibus géntibus (T. P. allelúja). ℣. Iste est, qui contémpsit vitam mundi, et pervénit ad cæléstia regna. * Quia te vidi justum coram me ex ómnibus géntibus (T. P. allelúja). Glória Patri. Quia.

In III Nocturno Homil. in Evang. Sint lumbi, de Comm. 1° loco.

In Quadrag. ix Lect. de Homil. Fer. cujus fit Com. ad Laudes et in II Vesp.

DIE 12 APRILIS

SANCTI CONSTANTINI

EP. VAPINC. ET CONF.

Duplex majus

Offic. in Psalt. et in Comm. Conf. non Pont. præter seq.

Oratio

PROSIT nobis, Dómine, beáti Constantíni Confessóris tui atque Pontíficis festíva solémnitas : ut sicut veram fidem dócuit et proféssus est, ita nos, ejus intercessióne, in eádem fide stábiles, soli semper Unigénito tuo vivámus incarnáto : Qui tecum vivit.

Et fit Commemoratio præced. S. Leonis, ut in Brev., deinde Feriæ in Quadrag.

In I Noct. in Quadrag. Lect. Fidélis sermo, de Comm. 1° loco.

In II Nocturno

Lectio iv

CONSTANTÍNUS, divérsus a Constántio Vapincénsi étiam Epíscopo, vitæ sanctitáte non minus quam fídei et ecclesiásticæ disciplínæ stúdio flóruit. Nomen ejus ob meritórum cúmulum et operatiónis benefícia apud íncolas in benedictióne huc usque pérmanet. Commíssum sibi gregem summa caritáte prósequi, cælésti sapiéntia régere, verbo et ómnium virtútum præclaríssimis exémplis páscere non déstitit. Quantus fúerit sanctárum regulárum assértor, testes adsunt várii Episcopórum convéntus in quibus præcípuas légitur habuísse partes. Ejus nómine, Vincéntius Présbyter intérfuit concílio Regiénsi in quo, depósito Armentário qui con-

tra Cánonum præscrípta ordinátus fúerat Ebredunénsis Epíscopus, ejus loco sufficitur Ingénuus.

℟. Invéni David servum meum, óleo sancto meo unxi eum : * Manus enim mea auxiliábitur ei (T. P. allelúja). ℣. Nihil profíciet inimícus in eo, et fílius iniquitátis non nocébit ei. Manus.

Lectio v

ANNO quadringentésimo quadragésimo primo, sedit in Concílio Arausicáno primo. Cujus auctoritáte inter ália multa hæc sancíta sunt : Baptísmum aut Pœniténtiam accípere potest súbito obmutéscens, si voluntátis aut prætéritæ testimónium aliórum verbis habet, aut præséntis in suo nutu : Censúris ecclesiásticis sunt repriméndi, qui servos in fácie Ecclésiæ libertáte donátos íterum in qualemcúmque servitútum redígere conántur. Sancti Hilárii Arelaténsis successórem Ravénnium ordinávit : quod certum facit beáti Leónis Papæ ad Epíscopos provínciæ Arelaténsis Epístola, de sibi gratíssima pro mérito Ravénnii electióne. Hac in epístola primus ómnium salutátur Constantínus. Cujus honóris rátio fuit quod Episcopátu antíquior Ravénnium habuísset Episcopáli consecratióne donándum.

℟. Pósui adjutórium super poténtem, et exaltávi eléctum de plebe mea : * Manus enim mea auxiliábitur ei (T. P. allelúja). ℣. Invéni David servum meum, óleo sancto meo unxi eum. Manus.

Lectio vi

LIBÉLLUM súpplicem, de restituénda Ecclésiæ Arelaténsi Metropóleos dignitáte, cum Epíscopis comprovinciálibus suis per legátos ad eúmdem summum Pontíficem misit, ut hujus respónso liquet, ubi étiam Constantínus primus ómnium nominátur. Subscrípsit Epístolæ synódicæ in qua Gálliæ Epíscopi, Leónis Papæ ad Flaviánum immortálem de Verbi Incarnatióne Epístolam summis láudibus

extolléntes, profiténtur se in ómnibus ei assentíri, « paráti, inquiunt, confortánte Dómino, cum Beatitúdine vestra, pro veritáte fídei ánimas nostras pónere, et vitam hanc auctóri salútis nostræ, et largitóri æternitátis impéndere. » Sic, óptimi Pastóris indeféssim múnere functus, e pastoráli spécula ad arcem ætérnæ felicitátis evolávit.

℟. Iste est, qui ante Deum magnas virtútes operátus est, et omnis terra doctrína ejus repleta est : * Ipse intercédat pro peccátis ómnium populórum (T. P. allelúja). ℣. Iste est, qui contémpsit vitam mundi, et pervénit ad cæléstia regna. Ipse intercédat. Glória Patri. Ipse intercédat.

In III Nocturno Homil. in Evang. Homo péregre, de Comm. 1º loco.

In Quadrag. ix Lect. de Homil. Feriæ, cujus fit Commemoratio ad Laudes.

Vesp. de seq. Com. præced. et Fer. in Quadrag:

DIE 13 APRILIS

SANCTI MARCELLINI

PRIMI EBREDUNENSIS EPISCOPI ET PATRONI MINUS PRINCIPALIS DIŒCESIS

Duplex II classis

Oratio

Deus, qui nos Unigéniti tui resurrectióne vivíficas, et beáti Confessóris tui atque Pontíficis Marcellíni Festivitáte lætíficas ; tanti Patróni précibus concéde ; ut fidem quam prædicávit ópere exsequéntes, beátæ resurrectiónis grátiam cónsequi mereámur. Per eúmdem Dóminum.

Et fit Com. præced. S. Hermenegildi Mart. et Feriæ in Quadrag.

IN UTRISQUE VESPERIS

Hymnus

Natus in terris procul Africánis,
Attigit quondam pietáte, celsas,
Célsior Præsul quibus Ebredúnum
Insidet Alpes.
Alta Domnínus comitátur acta,
Tuque, Vincénti, séqueris ; fugántur

Dæmonum per vos in
Avérna cultæ
Ante catérvæ.
Hoc loco primas posuére templi
Editi sedes : et eo vocárunt
Ad sacros ritus pia conditóres
Agmina primi.
Ergo Vercéllis Ligúrum relictis,
Eusebi, templo datus es dicándo :
E Valentína subit urbe Præsul
Æmiliánus.
His placet curas in Episcopáles
Hunc trahi primum : tamen illud uni
Dísplicet Sancto ; sed honor fugácem
Ornat honórem.
Nunc Deum juncta prece flagitémus
Ut Patris tanti dócili favóre
Cælitum nobis líceat subíre
Regna vocátis.
Laus Deo Patri, Genitæque Proli,
Et Paracléto sit honor perénnis,
Qui gregi tantum Vígilem parávit,
Trinus et unus.
Amen.

AD MATUTINUM

Hymnus

Noctis ætérnæ ténebras abégit
Lúcidum nostra regióne sidus ;
Et gravi nostros scélerum paréntes
Cómpede solvit.
Ille, Gentílis rígidos subégit
Ad fidem sensus épulis recépti,
Dum reconcínnat vítrei solúta
Frágmina vasis.
Hujus orátu fit ut occupátus
Tártari monstris, simul in beáti
Præsulis sanctum caput incitátus,
Pace fruátur.
En tumens lato spatiántis æstu
Unda torréntis, cruce fit secánte
Obvii Patris, populíque siccis
Pérvia plantis.
Jamque plebs unum coiens ovíle
Fecit ex omni simul Ebredúno,
Seque, Pastóris prece continénti
Tuta propágat.

Sédulo nunc omnes Súperis precátu,
Inter hæc vitæ freta, supplicémus,
Post graves tutum líceat procéllas
Tángere portum.

Laus Deo Patri, genitæque Proli,
Et Paracléto sit honor perénnis ;
Qui gregi tantum Vigilem parávit
Trinus et unus.
Amen.

In I Nocturno Lect. Laudémus viros gloriósos, de Comm. 2º loco.

In II Nocturno

Lectio iv

MARCELLÍNUS in Africa piis et illústribus paréntibus natus, cum adoléscens sacris lítteris studiósius insísteret, divíno Spíritu admónitus est, ut Gállias sancta sollicitúdine visitáret, atque pópulos gentilitátis mersos ténebris, ad fídei lumen addúceret. Vincéntium et Domnínum sibi sócios elégit ; et cum eis ex Africæ portu, inconsúltis paréntibus, solvens felíciter Romam advénit, sedénte Eusébio Pontífice, et Diocletiáno imperánte. Póntifex humaníssime accéptos consílium divínitus immíssum éxsequi præcláre hortátur, et ad Eusébium Vercellénsem Antístitem mandat, a quo in suscépto ópere dírigi possint. Hic præságo spíritu multa eis advérsa denúntiat, et ad ea fórtiter feréndа egrégie animátos dimíttit. Viam ígitur prosequéntes, divínæ fídei sémina ubíque spárgere jam incípiunt, tandémque, superátis Alpibus, pervéniunt Ebredúnum. Erat tunc misérrimus Christianórum hujus civitátis status : corrúperant pene omnes sinceritátem veræ religiónis, quæ, ab ipsis Nerónis tempóribus, per Sanctos Nazárium et Celsum invécta fúerat.

℟. Invéni David servum meum, óleo sancto meo unxi eum : * Manus enim mea auxiliábitur ei. (T. P. allelúja). ℣. Nihil profíciet inimícus in eo, et fílius iniquitátis non nocébit ei. Manus.

Lectio v

PORRO Marcellínus oratiónis locum primum éxstruit juxta muros Ur-

bis, et ibi cum sóciis ad incœptum opus eníxius se præparat. Deus quidem Evangelizántium verbo tantam virtútem cóntulit, ut, in dies crescénte fidélium número, novam Ecclésiam ædificári necésse fúerit; ad cujus consecratiónem rogátus est Eusébius Vercelléensis. Hic, assisténte sibi Æmiliáno Valentinénsi, Marcellínum licet reluctántem Epíscopum solémni ritu ordinávit. Mox Marcellínus, de finitimárum étiam géntium salúte sollícitus, Diniénses Vincéntio et Domníno excoléndos commísit. Supérerat autem in urbe Ebredunénsi Ethnicus, quem ad épulas una cum áliis vocátum blandis ad fidem verbis cœpit allícere. Cumque is áliquod signum quæreret, ex púeri mánibus vítreus calix décidens dissíluit, cujus extémplo vir sanctus colléctas partes in íntegrum restítuit, eóque miráculo Ethnicum ad baptísmum addúxit. Venérunt intérea ab Imperatóre Legáti, et Marcellínus cuípiam ex illis forte occúrrit. Is autem flagéllo, quod manu tenébat, in Sancti caput sævíre ausus est, cum, ulciscénte Deo, cítius a dæmone obséssus, horrendúmque in modum stridens in terram dejícitur. At sancti Præsulis oratióne sanátus, suáve Christi jugum elégit.

℟. Pósui adjutórium super poténtem, et exaltávi eléctum de plebe mea: * Manus enim mea auxiliábitur ei (T. P. allelúja). ℣. Invéni David, servum meum, óleo sancto meo unxi eum. Manus.

Lectio vi

JAM ad ovíle Christi, non modo in urbe, sed in vicínis locis tanta erat multitúdinis accéssio, ut omnes, projéctis ante Marcellíni pedes pecúniis, novum templum postulárent, quod sexto décimo ab urbe lápide, propter distántes pópulos ædificátum est. Ad ejus solémnia celebránda sanctus Póntifex, innumerábili comitánte turba, procédens, ad flúvium abundántibus plúviis veheménter auctum pervénit, ibíque necessário sisténdum fuisset,

nisi Marcellínus divíno fretus præsidio, antíquum renovásset Jordánis prodígium. Excitáto enim ad fidúciam pópulo, non prius ab oratióne déstitit quam revolútæ sursum tuméntes undæ, univérsæ multitúdini siccum iter præbuíssent. Tanti miráculi fama in finítimas regiónes perláta ingéntem Paganórum cópiam ad fidem addúxit. Dénique Marcellínus non minus virtútum splendóre quam miraculórum glória illústris, et máxima parte Alpium Maritimárum ad Christum convérsa, obdormívit in Dómino, Idibus Aprílis; ejus tamen exséquiæ octávo tantum post die, qui ei sacer est, a vicínis Epíscopis celebrátæ sunt.

℟. Iste est, qui ante Deum magnas virtútes operátus est, et omnis terra doctrína ejus repléta est: * Ipse intercédat pro peccátis ómnium populórum (T. P. allelúja). ℣. Iste est, qui contémpsit vitam mundi, et pervénit ad cæléstia regna. Ipse. Glória Patri. Ipse.

In III Nocturno, Homil. in Evang. Homo péregre, de Comm. 1º loco.

In Quadrag. Lect. ix de Homil. Fer. Extra Quadr. Lect. ix de S. Hermenegildo, ut in Brev.

Ad Laud. fit Com. S. Hermenegilidi Mart. et in Quadrag. Feriæ.

AD LAUDES

Hymnus

Láudibus lucem venerémur illam
Qua graves artus, luteámque molem
Exuit celsi pius Archipræsul
Advena cæli.

Lánguidos morbi ubi contulérunt,
Flébilem prona pietáte questum,
Irrito, numquam túmulus remísit
In sua, voto.

Dexter obséssis inimíca muris
Castra propúlsat, ruit evibránti
Cælitus lumen cruce, postuláta
Sanctus in arma.

Mittit occúltis óleum scatébris,
Curat et saxo cinis e beáto
Mórbidos, tristem, populánte peste,
Sóspitat urbem.

Urbis indígnas repeténte culpas
Arbitro rerum Dómino, repósta
Inclyti Patris latuére multos
Ossa per annos.

Erutum tandem pia pignus illud
Corda conspéctu recreávit ; et nos
Illud ætérna, vítio solúti,
Laude canámus.

Laus Deo Patri, Genitæque Proli,
Et Paracléto sit honor perénnis,
Qui gregi tantum Vígilem parávit
Trinus et unus. Amen.

In II Vesp. fit Com. seq. S. Justini Mart., S. Hermenegildi Mart. et Fer. in Quadrag.

Temp. Pasch. Com. S. Justini (Ant. Lux, ℣. Sancti et justi) et S. Hermenegildi (Ant. Fíliæ e Laud., ℣. Lux perpétua, e II Noct.).

DIE 20 APRILIS

OCTAVA S. MARCELLINI

Duplex majus

(Pro Parochiis quorum est Patronus).

In I et II Vesp. Hymn. Natus in terris, ut in die Festi.

AD MATUTINUM

Hymnus

PRÆSULES trinos canit Africános
Læta plebs, quorum pretiósa Clerus
Ossa sacrátis veneránda jussit
Cóndere bustis.

Quos simul nostras píetas ad Alpes
Duxit, hos uno celebráre Festo
Nostra Pastórum memor atque grata
Expetit ætas.

Núntios verbi pópulus fidéles,
Thure vos Patres vocat et Patrónos,
Ut queat vestris méritis juvári
Omne per ævum.

Hanc plagam, vestris précibus rogámus,
Véritas puro décoret nitóre ;
Ulla nec labes vítiet pudícas
Sórdida mores.

Hinc procul pellat Deus atra bella,
Auferat morbos, ábigat procéllas,
Fértili ditent opulénta messe
Arva colónum.

Laus Deo, virtus, honor et potéstas,
Una sit Patri, parilíque Proli
Par sit ambórum tibi nexus, omni
Spíritus, ævo.
Amen.

In II Nocturno

Lectio iv

Cum mortáli Marcellíni vita finem non cœpére mirácula. Urbem enim magnis cópiis obséderant hostes, cum, pópulo ad sancti Tuteláris túmulum confugiénte, visus est conféstim divus Póntifex fulgurántem de cælo crucem hóstibus objícere ; unde illi pertérriti et a muris dejécti, in divérsa palántes recessérunt. Grassánte aliquándo in urbe pestiléntia, cum unus ex Ecclésiæ minístris ea fuisset corréptus, et ab Antístite óleo sepúlcri beáti Marcellíni manánte inúnctus fuisset, sanitátem extémplo recuperávit. Quo exémplo permóta cívitas ad Tutelárem suum recúrrens, pénitus liberáta est. « Marcellínus, refert Gregórius Turonénsis, Baptistérium in urbe sua cóndidit in quo, Natális Dómini et Domínicæ cœnæ diébus, aqua dícitur divínitus exoríri. De quo étiam ad illud lávacrum, in quo consuetúdo prisca baptizári instítuit, aqua defértur. Ad hujus Sancti sepúlcrum lychnus assídue lumen præbet. Sed accénsus semel multis nóctibus sine ullo additaménto perdúrat : et plerúmque contíngit ut exstínctus a vento, divínitus íterum accendátur : ex quo óleo infírmi medicaménta suscípiunt. »

℟. Invéni David servum meum, óleo sancto meo unxi eum : * Manus enim mea auxiliábitur ei, allelúja. ℣. Nihil profíciet inimícus in eo, et fílius iniquitátis non nocébit ei. Manus.

Lectio v

Sacras Marcellíni relíquias diu in magna veneratióne hábuit cívitas Ebredunénsis atque in eis tutíssimum, advérsus omnes calamitátes præsídium reperiébat. Accidit autem ut, décimo ineúnte sæculo, sacrum

beáti Marcellíni corpus Cantógium, hódie Aniciénsis diœcésis óppidum, deferrétur, ubi máxima incolárum devotióne asservátum, exeúnte sæculo décimo octávo, inter Galliárum turbas, impiórum hóminum sacrilégio, dispériit. Dum vero Cantógium beáti Pontíficis íntegro fere córpore ditésceret thesáuro pretiosíssimo cívitas Ebredunénsis haud pénitus destitúta fuit, sed insígnes quasdam ejúsdem sacri córporis partes, singulári Dei providéntia, servávit. Quæ póstea, Deo étiam disponénte, diu incógnitæ remansére, tandem autem invéntæ magno honóre, ingentíque lætítia levátæ sunt. Præclára hæc pígnora argénteo monuménto inclúsa præténsæ reformatiónis tempóribus dirépta periére. Lugéndum Reliquiárum Patris amantíssimi casum veheméntius dóluit Ebredunénsis Ecclésia, donec anno millésimo septingentésimo sexagésimo quarto novum altáribus decus ádditum læta conspéxit.

℟. Pósui adjutórium super poténtem, et exaltávi eléctum de plebe mea : * Manus enim mea auxiliábitur ei, allelúja. ℣. Invéni David servum meum, óleo sancto meo unxi eum. Manus.

Lectio vi

Beáti Marcellíni Reliquiárum partem Diniénsis Ecclésia penes se habére gaudébat. Misit ergo ad fíliam mater, non ut repéteret quod suum fúerat, sed ut áliquam tanti múneris partículam benígne sibi elargiéndam expósceret. Postulatiónem præívit píetas, postulátis píetas ánnuit. Ex venerábili sancti Pontíficis cápite, post comprobátam ipsíus veritátem, os quod zigomáticum vocant, reverénter accéptum est, et missis ab Ebredunénsi Capítulo canónicis ritu solémni tráditum. Apértis ínsuper Sanctórum Vincéntii et Domníni lypsánis, recógnita fuérunt ossa duo quæ ad utriúsque bráchia pertinúerant, ex quibus síngulis divísæ portiónes eódem ritu donátæ sunt. Sic ditátum

fuit Ebredúnum, suis nec imminúta ópibus Dínia : immo novos patrónis suis adscíscens honóres, novum sibi jus ad eórum patrocínium Ecclésia útraque gratulátur.

℟. Iste est, qui ante Deum magnas virtútes operátus est, et omnis terra doctrína ejus repléta est : * Ipse intercédat pro peccátis ómnium populórum, allelúja. ℣. Iste est, qui contémpsit vitam mundi, et pervénit ad cæléstia regna. Ipse. Glória Patri. Ipse.

In III Nocturno Homil. in Evang. Homo péregre, de Comm. 1° loco.

AD LAUDES

Hymnus

O vos unánimes Christíadum chori
Sanctórum túmulos et cíneres Patrum,
Dulces exúvias, pígnora cælitum
Lætis dícite cánticibus.

Cælo quando piis æqua labóribus,
Felíces ánimæ gáudia póssident,
Pœnárum sóciis débita rédditur
Hic laus et decus óssibus.

Passim sparsa, Deus pollíciti memor,
Custos, ne péreant, pígnora cólligit,
Electósque suis próvidus ággerit
Aptándos lápides locis.

Quin et relíquias et túmulos sibi
Aras ipse Deus cónsecrat hóstia ;
Conjungénsque suis se caput ártubus
Hos secum simul ímmolat.

Vos quorum cíneres supplícibus pia,
Tutum præsídium, plebs colit óculis ;
Si vos nostra movent, subsídium, boni,
Vestris ferte cliéntibus.

Ut cum nostra novis spléndida dótibus,
Surget juncta choris Spírituum caro,
Indivísa trias sit Deus ómnia
Nobis semper in ómnibus. Amen.

In II Vesp. fit Com. seq. S. Anselmi Ep., Conf. et Eccl. Doct.

FESTA MAJI

DIE 23 MAJI

IN ANNIVERSARIO CORONATIONIS IMAGINIS B. M. V. LACENSIS

Duplex majus

Omnia ut in Comm. Fest. B. Mariæ Virg. præter sequentia.

In II Nocturno

Sermo sancti Joánnis Chrysóstomi apud Metaphrásten

Lectio iv

MAGNUM revéra miráculum, fratres dilectíssimi, fuit beáta semper Virgo María. Quid namque illa majus aut illústrius ullo umquam témpore invéntum est, seu aliquándo inveníri póterit? Hæc sola cælum ac terram amplitúdine superávit. Quidnam illa sánctius? Non Prophétæ, non Apóstoli, non Mártyres, non Patriárchæ, non Angeli, non Throni, non Dominatiónes, non Séraphim, non Chérubim, non dénique áliud quidpiam inter creátas res, visíbiles aut invisíbiles, majus aut excelléntius inveníri potest. Eadem ancílla Dei est et mater : éadem virgo et génitrix.

℞. Sicut cedrus exaltáta sum in Líbano, et sicut cypréssus in monte Sion : quasi myrrha elécta, * Dedi suavitátem odóris, allelúja. ℣. Et sicut cinnamómum et bálsamum aromatízans. Dedi.

Lectio v

HÆC ejus mater est, qui a Patre ante omne princípium génitus fuit, quem Angeli et hómines agnóscunt Dóminum rerum ómnium. Visne cognóscere quanto Virgo hæc præstántior sit cæléstibus Poténtiis? Illæ cum timóre et tremóre assístunt, fáciem velántes suam : hæc humánum genus illi offert, quem génuit. Per hanc et peccatórum véniam consequimur. Ave ígitur, mater, cælum, puélla, virgo, thronus, Ecclésiæ nostræ decus, glória et firmaméntum, assídue pro nobis precáre Jesum Fílium tuum et Dóminum nostrum : ut per te misericórdiam inveníre in die

judícii, et quæ repósita sunt iis qui díligunt Deum, bona cónsequi possímus grátia et benignitáte Dómini nostri Jesu Christi : cum quo Patri simul et sancto Spirítui glória, et honor, et impérium nunc et semper in sæcula sæculórum. Amen.

℟. Quæ est ista, quæ procéssit sicut sol, et formósa tamquam Jerúsalem * Vidérunt eam fíliæ Sion et beátam dixérunt, et regínæ laudavérunt eam, allelúja. ℣. Et sicut dies verni circúmdabant eam flores rosárum et lília convállium. Vidérunt.

Lectio vi

(Ex authenticis monumentis Sanctuarii Lacensis)

QUAMVIS sanctíssimæ Dei Genitrícis potéstas et misericórdia ubíque terrárum fúlgeant, tamen ipsa nonnúllis in locis dona sua cumulátius osténdit. Quod potíssimum áccidit in sacra Lacénsi Æde, quæ ex parvo sacéllo dévio in némore jam sita, in amplum Templum subínde convérsa est. Eo siquidem nedum ex Alpibus, sed ex díssitis étiam regiónibus turmátim hómines concúrrunt, et cæléstia dona áffatim suscípiunt. In ipso autem Templo Virgo Dei Génitrix peccatórum refúgium sese esse mirum in modum demónstrat. Ibi enim plúrimi, ejus ope, diabólicæ servitútis excússo jugo ac vítiis mórtui Deo revivíﬁunt. Quibus motus Pius nonus Póntifex máximus Vapincénsis Epíscopi votis ánnuens, áurea coróna Lacénsem Beátæ Maríæ Vírginis Imáginem sua auctoritáte et nómine decorándam esse decrévit. Quod Antístes ipse perfécit die vigésima tértia Maji anni millésimi octingentésimi quinquagésimi quinti, sex Præsúlibus adstántibus neque non magna Cleri populíque cópia. Idem vero Póntifex Máximus ne rei gestæ memória deperíret, benefíciis benefícia cúmulans, indúlsit, ut quotánnis eódem recurrénte die ab univérso Vapincénsi Clero in cæléstis Regínæ honórem offícium próprium haberétur.

℟. Ornátam monílibus fíliam Jerúsalem Dóminus concupívit : * Et vidéntes eam fíliæ Sion, beatíssimam prædicavérunt, dicéntes : * Unguéntum effúsum nomen tuum, allelúja. ℣. Astitit regína a dextris tuis in vestítu deauráto, circúmdata varietáte. Et vidéntes. Glória Patri. Unguéntum.

In III Nocturno Homilía in Evang. Loquénte Jesu, de Comm.

SANCTI GUILLELMI

ABBATIS

Offic. in Psalt. et in Comm. Abb. præter sequentía.

IN I VESPERIS

Hymnus.

Quem jubes inter némorum latébras,
Et per Alpínos habitáre montes,
Christe, pascéndo puer hausit unde
Múnera cæli.

Antra, vidístis, loca sola, valles,
Invii saltus, querulíque fontes
Vos et effúso madefácta fletu
Aspera rupis.

Calma, dic mirum púeri pudórem,
Illíus sanctæ documénta vitæ,
Signa quæ præbet pietátis almæ,
Hóstia casta.

Puber hic pœnis juveníle corpus
Plectit, attrítum subigítque menti,
Semper infénsus sibi, durus hostis
Et sibi judex.

Hic dapes ægro stómacho recúsat,
Gútturi sicco renuítque lymphas ;
Transit orándo vigiláta longæ
Témpora noctis.

Membra non molli jacuére lecto,
Vile quin stramen sibi tollit asper,
Æstibus magnis, híemis rigóre,
Terra cubíle.

Creber ad sacram juvat ire mensam,
Ut novas vires, animósque sumat ;
Páscitur Christo, solidáque fortis
Fervet ab esca.

Summa laus Patri, Genitóque Verbo,
Et tibi compar utriúsque flamen ;
Fac tibi semper placeámus uni,
Móribus æquis.
Amen.

AD MATUTINUM

Hymnus

Christus, afflátu válido cor urit,
Non capit sese ámplius intus ardor,
Férvidos cæli, quot erant sodáles,
Reddit amántes.

Flóribus texens váriis corónas,
Vírginis matris décorat sacéllum ;
Móntium summo crucis ille gaudet
Pónere signa.

Ibat ad Jesum, rutilánte stella,
Offerens cordis pia dona puri,
Rústicos cantus, víolas fragántes,
Aurea poma.

Dona largítor síbimet recépit :
Angelus pacis, radiánte vultu,
Verba Guillélmo mémorans Tonántis
Abdita pandit :

« En plagam *Calmæ* minitátur unda,
Te Deus clemens jubet ire promptum,
Ut pii curent mónachi vetústas
Línquere sedes. »

Sed Pater ridet fácilem bubúlcum.
Qui semel, bis, ter rédiens, fidélis,
Núntium certæ rénovat ruínæ
Instat et urget.

Déxtera mancus manet ille natus :
Missa de cælo manus ecce supplet,
Quæ velut signum mónitus treméndi
Mira corúscat.

Tunc Deo grati recinúntur hymni,
Et graves donis cumulántur aræ.
Quantus est pastor ! timet imminéntis
Pondus honóris.

Grátias Christo mémores canámus,
Tantus ætérni favor est magístri ;
Sacra pastóri simul et paréntur
Præmia digno.

Summa laus Patri, Genitóque summa,
Sit tibi compar, utriúsque nexus,
Spíritus pacis, Deus unus, omni
Témporis ævo.
Amen.

In II Nocturno

Lectio iv

GUILLÉLMUS prope Ebredúnum, humíllimis sed piis paréntibus natus, e sinu matérno pródiit déxtera mancus. A púero pascéndis grégibus monastérii CALME mancipátus, haud dúbia sanctitátis futúræ indícia præbuit. Quotidiána visibílium meditatióne ad invisibília ánimum extóllere sólitus, angélicam pótius quam pastorálem vitam ducébat; ádeo ut mónachi sancti júvenis religiósam índolem virtutésque miráti, ipsum veneratióni habérent.

℟. Honéstum fecit illum Dóminus, et custodívit eum ab inimícis, et a seductóribus tutávit illum : * Et dedit illi claritátem ætérnam, allelúja. ℣. Justum dedúxit Dóminus per vias rectas, et osténdit illi regnum Dei. Et dedit.

Lectio v

INTÉREA, próxima monastérii ruína, quod juxta dúplicis proflúvii oras pósitum erat, cælitus præcógnita, missus est ab ángelo Guillélmus monastérii abbátem monitúrus ut ad álium locum sese cónferent mónachi, nisi inundántibus aquis períre vellent. Huícce primo monítui, nec non secúndo, crédere recusánte monastérii abbáte, Guillélmus déxtera instrúctus tértio coram ipse se sistit, ipsíque manum *de cælo missam* osténdit in testimónium revelatiónis angélicæ. Cui manifestíssimo atque stupéndo signo abbátis incredúlitas tandem victa cessit. Mox prædictiónem secútus est evéntus : irruérunt aquæ et pénitus destrúctum est monastérium.

℟. Amávit eum Dóminus, et ornávit eum : stolam glóriæ índuit eum, * Et ad portas paradísi coronávit eum, allelúja. ℣. Induit eum Dóminus loricam fídei, et ornávit eum. Et ad portas.

Lectio vi

UTRÁQUE manu angélica scílicet et naturáli instrúctus Guillélmus, religiósam vitam in Olxénce monastério ampléxus est, ibíque ecclesiásticis erudítus disciplínis sacérdos efféctus fuit. Póstea ab hujus monastérii Præpósito ad Calménse monastérium missus, ut ibi Deo servíret ubi, Deo mirabíliter largiénte, déxteram recéperat, in abbátem elígitur. Qui dum hujus múneris partes fervénti zelo, et cæléсti sapiéntia ad fratrum proféctum impléret, e lacrimárum valle ad ætérnam beatitúdinem migrávit. Vita functo Guillélmo, sequénti exsequiárum die, visa est manus *de cælo missa* extra túmulum erécta, quæ íterum tumuláta, rursus manifésta appáruit. Hujúsce miráculi mónitus Archiepíscopus Ebredunénsis eam amputári jussit et servári tamquam pretiosíssimam Relíquiam. Quæ manus ad nos usque íntegra transmíssa fuit, et religióso cultu in Aguilonénsi paróchia cólitur.

℟. Iste homo perfécit ómnia quæ locútus est ei Deus, et dixit ad eum : Ingrédere in réquiem meam : * Quia te vidi justum coram me ex ómnibus géntibus, allelúja. ℣. Iste est, qui contémpsit vitam mundi, et pervénit ad cæléstia regna. Quia. Glória Patri. Quia.

In III Noct. Homil. in Evang. Ecce nos relíquimus ómnia, de Comm. Abb.

AD LAUDES

Hymnus

VOCE, Guillélmus mónitus supérna,
Sponte se tondet ; brévior capíllis,
Láneo collum tegit in cucúllo,
Septa relínquens.

Se Deo votis pius obligávit ;
Unctus est felix óleo sacérdos,
Ad caput *Calmæ* modo destinátus
Munus adímplet.

Súbvenit lassis, docet imperítos,
Lux fuit cæco, cólumen labánti,
In via cæli nova præses abbas
Agmina ducit.

Montis e summo facis instar ardet,
Huc regit gressus dúbius viátor;
Cónfluunt cives; velut aula magna,
Fervet erémus.

Hæc fuit vitæ, fuit et labórum
Meta quam Christus dedit; ecce pauper,
Spléndido lucis rútilans amíctu,
Fulget olympo.

Qua via divas tibi pandis arces,
Fac tuos illa, Pater, ire natos,
Et tua tandem prece, nos beátis
Cœtibus adde.

Cum fidem cernis titubáre nostram,
Tu vacillántes rege, Christe, passus;
Fac, Deus, sanctum dócili sequámur
Corde magístrum.
Amen.

IN II VESPERIS

Hymnus

Dextra post funus túmulo resúrgit!
Præsulis jussu, secat ensis illam;
Moxque Guillélmi cíneres recóndit
Ara perénnis.

Sana servátur, decus unde nostrum,
Clara porténtis manus, et verénda
Cláuditur vitro; velut ignis urit
Corda tuéntum.

Se probat virtus generósa factis:
Hujus ad nutum stetit alta flamma:
Arte non docta, prece sed medénte,
Vúlnera sanat.

Ad sacram quisquis venit æger aram,
Febre seu languens, aliáve tabe
Sáucius, morbo fugiénte, sanus
Rédditur omnis.

Sæpe quam proles génitrix ab alvo
Fudit exstínctam, túmulo propínqua
Spirat, o mirum! récipit negátas
Lúminis auras.

Hic nurus castæ, viduæque matres,
Vírgines, sponsæ, júvenes, senésque,
Omnis et sexus réperit Patrónum,
Omnis et ætas.

Hi putres artus álii profúndos
Vúlnerum monstrant óculis recéssus,

Quæ *manu sacra*, modo sanitáti
Restituúntur.
Hanc manum nobis datur osculári ;
Impius quisquis procul hinc recédat,
Quippe sentíret súbito treméndam
Núminis iram.
Sit sibi vindex reus, atque crimen
Abluat fletu prius ac suprémo
Ore contingat metuénda certis
Pignora pœnis.
Signa cæsúræ véluti recéntis
Hæc manus præbet, cute sub valénte ;
Mille post annos, sine labe, priscos
Servat honóres.
Hisce tam caris Réliquis fruéntes
Nos juvat sacros renováre cultus,
Festa testári, mémori, quotánnis,
Gáudia cantu.
Glóriam trino Dómino sed uni
Tanta qui fecit méritis beáti
Mira Guillélmi, tribuámus ergo
Péctore grato. Amen.

INDEX

MARTII

6 S. Coletæ Virg., *dupl.* 3
10 S. ARIGII EP. ET CONF., *dupl. maj.* 6
13 S. Eldradi Abb., *semidupl.* 9

APRILIS

5 S. VINCENTII FERRERII CONF., *dupl. maj.* 11
12 S. CONSTANTINI EP. ET CONF., *dupl. maj.* 14
13 S. MARCELLINI Ep. et Conf., *dupl. II cl.* 16
20 S. MARCELLINI OCTAVA, *dupl. maj.* 21

MAJI

3 ANNIV. CORONATIONIS B. M. V. LACENSIS, *dupl. maj.* . . . 25
S. Guillelmi Abb., *dupl.* 27

Concordat cum originali.

Vapinci, die 5 Decembris 1948.

† AUGUSTUS - CALLISTUS
EPISC. VAP.

Imprimatur.

Turonibus, die XXX Martii MCMXLIX.

† LUDOVICUS-JOSEPHUS
ARCHIEPISC. TURON.

Imprimé en France.

859-1949 — Turonibus, typis Mame.
DÉPÔT LÉGAL : 2e trimestre 1949.

OFFICIA PROPRIA

AD USUM DIŒCESIS

VAPINCENSIS

A S. R. CONGREGATIONE APPROBATA

AC DE MANDATO

ILLUSTRISSIMI AC REVERENDISSIMI

DD. AUGUSTI-CALLISTI BONNABEL

VAPINCENSIS EPISCOPI

EDITA

PARS ÆSTIVA



TURONIBUS

SUMPTIBUS ET TYPIS MAME

SANCTÆ SEDIS APOSTOLICÆ ET SACRÆ RITUUM CONGREGATIONIS
TYPOGRAPHORUM

OFFICIA PROPRIA
DIŒCESIS VAPINCENSIS

*

PARS ÆSTIVA

FESTA MAJI

DIE 23 MAJI

IN ANNIVERSARIO CORONATIONIS IMAGINIS B. M. V. LACENSIS

Duplex majus

Omnia ut in Comm. Fest. B. Mariæ Virg. præter sequentia.

In II Nocturno

Sermo sancti Joánnis Chrysóstomi

Apud Metaphrasten.

Lectio iv

MAGNUM revéra miráculum, fratres dilectíssimi, fuit beáta semper Virgo María. Quid namque illa majus aut illústrius ullo umquam témpore invéntum est, seu aliquándo inveníri póterit ? Hæc sola cælum ac terram amplitúdine superávit. Quidnam illa sánctius ? Non Prophétæ, non Apóstoli, non Mártyres, non Patriárchæ, non Angeli, non Throni, non Dominatiónes, non Séraphim, non Chérubim, non dénique áliud quídpiam, inter creátas res, visíbiles aut invisíbiles, majus aut excelléntius inveníri potest. Eadem ancílla Dei est et mater : éadem virgo et génitrix.

℟. Sicut cedrus exaltáta sum in Líbano, et sicut cypréssus in monte Sion : quasi myrrha elécta, * Dedi suavitátem odóris. ℣. Et sicut cinnamómum et bálsamum aromatízans. Dedi.

Lectio v

HÆC ejus mater est, qui a Patre ante omne princípium génitus

fuit, quem Angeli et hómines agnóscunt Dóminum rerum ómnium. Visne cognóscere quanto Virgo hæc præstántior sit cæléstibus Poténtiis ? Illæ cum timóre et tremóre assistunt, fáciem velántes suam : hæc humánum genus illi offert, quem génuit. Per hanc et peccatórum véniam conséquimur. Ave ígitur, mater, cælum, puélla, virgo, thronus, Ecclésiæ nostræ decus, glória et firmaméntum, assídue pro nobis deprecáre Jesum Fílium tuum et Dóminum nostrum : ut per te misericórdiam invenire in die judícii, et quæ repósita sunt iis qui díligunt Deum, bona cónsequi possímus grátia et benignitáte Dómini nostri Jesu Christi : cum quo Patri simul et Sancto Spíritui glória, et honor, et impérium nunc et semper in sæcula sæculórum. Amen.

℟. Quæ est ista, quæ procéssit sicut sol, et formósa tamquam Jerúsalem ? * Vidérunt eam fíliæ Sion et beátam dixérunt, et regínæ laudavérunt eam. ℣. Et sicut dies verni circúmdabant eam flores rosárum et lília convállium. Vidérunt.

Lectio vi

(Ex authenticis monumentis Sanctuarii Lacensis.)

Quamvis sanctíssimæ Dei Genitrícis potéstas et misericórdia ubíque terrárum fúlgeant, tamen ipsa nonnúllis in locis dona sua cumulátius osténdit. Quod potíssimum áccidit in sacra Lacénsi Æde, quæ ex parvo sacéllo dévio in némore jam sita, in amplum Templum subínde convérsa est. Eo síquidem nedum ex Alpibus, sed ex díssitis étiam regiónibus turmátim hómines concúrrunt, et cæléstia dona affátim suscípiunt. In ipso autem Templo Virgo Dei Génitrix peccatórum refúgium sese esse mirum in modum demónstrat. Ibi enim plúrimi, ejus ope, diabólicæ servitútis excússo jugo ac vítiis mórtui Deo revivíſiunt. Quibus motus Pius nonus Póntifex máximus Vapincénsis Epíscopi votis ánnuens, áurea coróna

Lacénsem Beátæ Maríæ Vírginis Imáginem sua auctoritáte et nómine decorándam esse decrévit. Quod Antístes ipse perfécit die vigésima tértia Maji anni millésimi octingentésimi quinquagésimi quinti, sex Præsúlibus adstántibus neque non magna Cleri populíque cópia. Idem vero Póntifex Máximus ne rei gestæ memória deperíret, benefíciis benefícia cúmulans, indúlsit, ut quotánnis eódem recurrénte die ab univérso Vapincénsi Clero in cæléstis Regínæ honórem offícium próprium haberétur.

℟. Ornátam monílibus fíliam Jerúsalem Dóminus concupívit : * Et vidéntes eam fíliæ Sion beatíssimam prædicavérunt dicéntes : * Unguéntum effúsum nomen tuum. ℣. Astitit regína a dextris tuis in vestítu deauráto, circúmdata varietáte. Et vidéntes. Glória Patri. Unguéntum.

In III Nocturno Homilia in Evang. Loquénte Jesu, de Comm. B. Mariæ Virg.

FESTA JULII

DIE 20 JULII
SANCTÆ MARGARITÆ
VIRG. ET MART.

Duplex

Offic. in Psalt. et in Comm. præter sequentia :

Oratio

INDULGÉNTIAM nobis, quæsumus, Dómine, beáta Margaríta Virgo et Martyr implóret : quæ tibi grata semper éxstitit et mérito castitátis, et tuæ professióne virtútis. (Per Dóminum.)

Deinde fit Com. S. Hieronymi Æmiliani Conf.

In II Nocturno

Lectio iv

MARGARÍTA sive Margaréta, quam Antiochíæ Pisídiæ ortam tradunt, ibídem post divérsa et crudelíssima torménta martyrium cápitis obtruncatióne consummásse fertur. Sanctam Mártyrem in Oriénte celebratíssimam fuisse constat Græcórum tábulis et menologíis in quibus Megalomártyris título insignítur. Quo témpore cultus

ejus ab Oriénte in Occidéntem transíerit, non omníno certum est, sed eum antiquíssimum esse probant tum sanctæ Mártyris nomen insértum Litaníis in Ecclésia Anglicána sæculo séptimo usitátis, tum horum témporum Martyrología in quibus summis láudibus Margaríta prædicátur, et tandem, teste Barónio, véteres Ecclésiæ Románæ Litaníæ (illæ forte a sancto Gregório Magno ordinátæ), in quibus tamquam Virgo et Martyr invocátur Margaríta.

℟. Propter veritátem et mansuetúdinem, et justítiam : * Et dedúcet te mirabíliter déxtera tua. ℣. Spécie tua et pulchritúdine tua inténde, próspere procéde, et regna. Et.

Lectio v

Undécimo sæculo frequentíssimus erat toto Occidénte sanctæ Mártyris cultus, ut testántur Missália et Offícia innumerabílium Ecclesiárum Itáliæ, Galliárum et Angliæ. Sub ejus patrocínio passim erécta conspiciúntur Altária, Oratória et Ecclésiæ. Solémni ritu, et étiam cum prohibitióne servílium óperum, festum illíus apud Anglos celebrabátur plus quam trecéntis annis ante schisma Henríci octávi, ut vidére est in actis concílii Oxoniénsis quod anno vigésimo secúndo supra ducentésimum millésimum hábitum fuit.

℟. Dilexísti justítiam, et odísti iniquitátem : * Proptérea unxit te Deus, Deus tuus, óleo lætítiæ. ℣. Propter veritátem et mansuetúdinem et justítiam. Proptérea.

Lectio vi

Speciális matrum partu periclitántium advocáta cólitur Margaríta, et illíus erga parturiéntes patrocínium præcípua laudum pars est quibus glória ipsíus pósthuma commendátur. Innúmeræ reférri possent grátiæ quibus Deus matrum partu periclitántium fidem, illarúmque erga sanctam Mártyrem devotiónem remunerári vóluit. Memorásse satis est, Maríam Medicæam Henríci quarti Gálliæ nostræ regis uxórem, anno

millésimo sexcentésimo octávo, argénteam sanctæ Margarítæ státuam, ob felícem Ludovíci décimi tértii partum, obtulísse ecclésiæ abbatiáli sancti Germáni Praténsis, ubi magno honóre beáta Virgo celebrátur.

℟. Afferéntur Regi Vírgines post eam, próximæ ejus * Afferéntur tibi in lætítia et exsultatióne. ℣. Spécie tua et pulchritúdine tua inténde, próspere procéde, et regna. Afferéntur tibi. Glória Patri. Afferéntur tibi.

In III Nocturno Homilia in Evang. Accessérunt ad Jesum, de Comm. 3° loco.

Lectio ix de S. Hieronymo, ut in Brev.

Ad Laud. fit Com. S. Hieronymi Conf.

In Vesp. Com. S. Praxedis Virg. (Ant. Símile) et S. Hieronymi.

DIE 28 JULII

Ss. NAZARII et CELSI

ALPIUM APOSTOLORUM ET MARTYRUM

Duplex

Offic. in Psalt. et in Comm. plurim. Mm.

Oratio

Deus, qui beátos Nazárium et Celsum Evangélii præcónes esse fecísti, ipsísque tribuísti mori pro nómine tuo ; da nobis, eórum précibus et exémplo, secúndum Evangélii veritátem coram te ambuláre et ad ómnia pro tuo amóre subeúnda júgiter esse parátos. Per Dóminum.

Et fit Com. S. Victoris I Papæ et Mart. et Innocentii I Papæ et Conf. (Ant. Gaudent in cælis, ℣. Exsultábunt, e II Vesp.)

Oratio

Sanctórum tuórum nos, Dómine, Victóris et Innocéntii conféssio beáta commúniat : et fragilitáti nostræ subsídium dignánter exóret. Per Dóminum.

In I Noct. Lect. de Script. occurr. cum Resp. de Tempore.

In II Nocturno

Lectio iv

Nazárius a beáto Lino Papa baptizátus, Gállias fídei disseminándæ causa proféctus est, ibique

Celsum púerum, a se Christiánis præcéptis prius imbútum, baptizávit et peregrinatiónum sibi cómitem adscívit. Qui una Ebredúnum Alpium Maritimárum Metrópolim pervéniunt. Antiquíssima est enim sanctæ Ebredunénsis Ecclésiæ tradítio vetustióribus tábulis consignáta Nazárium et Celsum primos in nostris Alpibus Evangélium prædicásse, uberésque prædicatiónis retulísse fructus ; quaprópter habéntur ut Ebredunénsium et totíus Alpínæ regiónis apóstoli.

℟. Sancti tui, Dómine, mirábile consecúti sunt iter, serviéntes præcéptis tuis, ut inveniréntur illæsi in aquis válidis : * Terra appáruit árida, et in Mari Rubro via sine impediménto. ℣. Quóniam percússit petram, et fluxérunt aquæ, et torréntes inundavérunt. Terra.

Lectio v

Cum áliis étiam Galliárum locis Christum annuntiássent, Trévirim adveniéntes, Nerónis persecutióne, in mare utérque dejícitur, unde mirabíliter evasérunt. Póstea Mediolánum profécti, cum ibi Christi fidem disseminárent, ab Anolíno Præfécto, constantíssime Christum Deum confiténtes, cápite plectúntur, quorum córpora extra portam Románam sepúlta sunt. Quæ cum diu latuíssent, Dei mónitu, a beáto Ambrósio conspérsa recénti sánguine sunt invénta, tamquam si paulo ante Martyrium passi essent, unde in urbem transláta honorífice cóndita sunt. Sanctórum Mártyrum glóriam in eórum translatióne testátam fecére innúmera ferme mirácula, quæ in vita beáti Ambrósii narrat Paulínus horum ómnium spectátor et testis.

℟. Vérbera carníficum non timuérunt Sancti Dei, moriéntes pro Christi nómine : * Ut herédes fíerent in domo Dómini. ℣. Tradidérunt córpora sua propter Deum ad supplícia. Ut herédes.

Lectio vi

Sacræ Mártyrum relíquiæ multas in orbis partes disseminátæ sunt ; unde illórum cultus tam in Oriénte quam in Occi-

dénte celebérrimus evásit. Arthémius Ebredunénsis Archiepíscopus, Mártyrum relíquiis civitátem suam ditáre sollícitus, quorum prædicatióne de ténebris ad lucem, de morte ad vitam transláta fúerat, ad sanctum Ambrósium scripsit. Mox accépta pretiósa pígnora in Ecclésia in honórem beátæ Maríæ Vírginis a se nupérrime ædificáta solémniter collocávit.

℟. Tamquam aurum in fornáce probávit eléctos Dóminus, et quasi holocáusti hóstiam accépit illos : et in témpore erit respéctus illórum : * Quóniam donum et pax est eléctis Dei. ℣. Qui confídunt in illum, intélligent veritátem : et fidéles in dilectióne acquiéscent illi. Quóniam. Glória Patri. Quóniam.

In III Nocturno Homil. in Evang. Cum audiéritis, de Comm. 1º loco.

Pro Ss. Victore et Innocentio :

Lectio ix

In eúmdem diem, íncidit memória sancti Victóris Papæ, qui Sevéro imperatóre rexit Ecclésiam, Theódotum Coriárium confutávit, scripsítque de quæstióne Paschæ. Martyrio coronátus, sepúltus est in Vaticáno quinto Kaléndas Augústi. Eódem étiam die recólitur sanctus Innocéntius Papa, qui Pelágio et Cæléstio damnátis, contra eórum hæresim decrétum fecit. Cujus corpus sepúltum est in cœmetério ad Ursum pileátum.

Te Deum laudámus.

Ad Laudes fit Com. Ss. Victoris et Innocentii (Ant. Istórum, ℣. Lætámini, e I Vesp.).

In II Vesp. fit Com. seq. S. Marthæ, Virg., Ss. Victoris et Innocentii (Ant. Vestri capílli, e Laud., ℣. Exsúltent, e II Noct.) et Ss. Felicis et Soc. Mm. (Ant. Istórum est, ℣. Lætámini, e I Vesp.).

FESTUM AUGUSTI

DIE 16 AUGUSTI

COMMEMORATIO

SANCTI ROCHI

CONFESSORIS

In Off. S. Joachim ad Matut. ix Lect. S. Rochi Conf., ut infra.

Pro S. Rocho Conf. : Lectio ix

Rochus in Monte Pessuláno natus, quanta in próximum caritáte flagráret, tum máxime osténdit, cum sævíssima peste longe latéque per Itáliam grassánte, pátria relícta, Itálicam peregrinatiónem suscépit, urbésque et óppida péragrans seípsum in ægrotántium obséquium impéndere, animámque suam pro frátribus pónere non dubitávit. Quod beáti viri stúdium quam gratum Deo fúerit, miris sanatiónibus declarátum est. Complúres enim pestiléntia inféctos e mortis perículo signo crucis erípuit, et íntegræ sanitáti restítuit. In pátriam revérsus, virtútibus et méritis dives sanctíssime óbiit, ejúsque óbitum statim subsecúta est venerátio fidélium, quæ in Constantiénsi deínde concílio magnum recepísse dícitur increméntum, cum ad propulsándam ingruéntem luem Rochi imágo solémni pompa, omni comitánte pópulo, per eámdem civitátem, Epíscopis approbántibus, est deláta. Itaque ejus cultus miríﬁce propagátus est in univérso terrárum orbe, qui eúmdem sibi apud Deum advérsus contagiósam luem patrónum religióso stúdio adoptávit. Quibus accuráte perpénsis, Urbánus octávus Póntifex máximus, ut ejus dies festus iis in locis, in quibus forent ecclésiæ sancti Rochi nómine Deo dicátæ, offício ecclesiástico celebrarétur indúlsit.

Te Deum laudámus.

Ad Laud. Com. S. Rochi : Ant. et ℣. de Comm. Conf. non Pont.

Oratio

Pópulum tuum, quǽsumus, Dómine, contínua pietáte custódi : et beáti Rochi suffragántibus méritis, ab omni fac ánimæ et córporis contagióne secúrum. Per Dóminum.

DIE 19 AUGUSTI

SANCTI DONATI

CONFESSORIS

Duplex

Offic. in Psalt. et in Comm. Conf. non Pont.

Oratio

DEUS, qui beátum Donátum honóre sacerdótii, et virtútum splendóre sublimásti, concéde nos, ejus méritis, a peccátis ómnibus absólvi, atque ipsíus imitatióni júgiter inhærére, ut præmia consequámur ætérna. Per Dóminum.

Et fit Com. Oct. Assumpt. B. M. V.

Deinde Com. S. Joannis Eudes Conf. (Ant. Hic vir, ℣. Justum, e II Vesp.)

In I Noct. Lect. de Script. occurr.

In II Nocturno

Lectio iv

DONÁTUS Aurelianénsis, ab ipsis infántiæ rudiméntis, mira Dei grátia præditus éxstitit. Octávo ætátis anno totum Psaltérium jam didícerat, et anno décimo utrúmque decúrrerat Testaméntum. Ab Aurelianénsi Epíscopo sacérdos initiátus, e pátrio solo, vocánte Deo, progréditur ad loca sancta quibus beáti Martíni Turonénsis Relíquiæ summam addíderant veneratiónem. Inde anachoréticam vitam cógitans, post multas peregrinatiónes ad montem Luram, non longe ab urbe Cisteracénsi pervénit. Ibi convállem serpéntibus sua oratióne purgátam, sibi ad habitándum elégit, Deo et cæléstium contemplatióni vacatúrus.

℟. Honéstum fecit illum Dóminus, et custodívit eum ab inimícis, et a seductóribus tutávit illum : * Et dedit illi claritátem ætérnam. ℣. Justum dedúxit Dóminus per vias rectas, et osténdit illi regnum Dei. Et dedit.

Lectio v

SOLITÚDINIS licet amantíssimus, vicínas plebes christiánæ fídei ignorántia morúmque corruptéla laborántes, sua prædicatióne edócuit et ad sanctióris vitæ institúta revocávit. Ad suum vitæ genus incitávit júvenem quemdam Ebredunénsem, nómine Florentínum. Fertur étiam aliquámdiu Ebredúni substitísse, ibíque multa edidísse mirácula ; unde sub ejus nómine Ecclésia ibídem póstea dedicáta est.

Cum autem Donáti fama longe latéque pervulgarétur, et ejus ópera christiána fides augerétur, ad Celsum senatórem res deláta est, qui inclytum Presbyterum váriis torméntis exercitátum exsílio mulctat. Sed his ómnibus supérior ejus constántia mirífice enituit.

℟. Amávit eum Dóminus, et ornávit eum : stolam glóriæ índuit eum, * Et ad portas paradísi coronávit eum. ℣. Induit eum Dóminus loricam fídei, et ornávit eum. Et ad portas.

Lectio vi

DÉNIQUE cum instáret optáta dies qua Donátus transitúrus erat de hac valle lacrimárum ad cæléstem pátriam, Dei mónitu, Márius monastérii Bodanénsis Abbas ad eum se tránstulit. Sanctum amícum et concívem lætus excépit Donátus, et ab eo Córporis Christi viático reféctus, inter verba oratiónis migrávit in cælum, versus inítium sexti sæculi et décimo tértio Kaléndas Septémbris. A beáto Mário sepúltus est in eódem loco quo sanctíssimam vitam dúxerat. Ejus relíquiæ in multis Provínciæ locis dispérsæ sunt : quarum tamen pars máxima Aveniónem transláta est, ubi Donáti festum ritu dúplici celebrátur.

℟. Iste homo perfécit ómnia quæ locútus est ei Deus, et dixit ad eum : Ingrédere in réquiem meam : * Quia te vidi justum coram me ex ómnibus géntibus. ℣. Iste est, qui contémpsit vitam mundi, et pervénit ad cæléstia regna. Quia te vidi. Glória Patri. Quia te vidi.

In III Nocturno Homilia in Evang. Nolíte tímere, de Comm. 2º loco.

Lectio ix de S. Joanne Eudes, ut in Brev.

Ad Laud. fit Com. S. Joannis Eudes (Ant. Similábo, ℣. Amávit, e I Vesp.) et Oct. Assumpt.

Vesp. a Cap. de seq. S. Bernardi Abb., Com. præced., S. Joannis Eudes (Ant. Euge, e Laud., ℣. Os justi, e Tert.) et Oct. Assumpt.

INDEX

MAJUS

23 Ann. Coronationis B. M. V. Lacensis, *dupl. maj.* 3

JULIUS

20 S. Margaritæ Virg. et Mart., *dupl.* 5
28 Ss. Nazarii et Celsi Mm., *dupl.* 7

AUGUSTUS

16 Com. S. Rochi Conf. 9
19 S. Donati Conf., *dupl.* 10

Concordat cum originali.

Vapinci, die 5 Decembris 1948.

† AUGUSTUS-CALLISTUS
Episc. Vap.

Imprimatur.

Turonibus, die xxx Martii MCMXLIX.

† LUDOVICUS-JOSEPHUS
Archiepisc. Turon.

Imprimé en France.

859-1949 — Turonibus, typis Mame.
Dépôt légal : 2e trimestre 1949.

OFFICIA PROPRIA
AD USUM DIŒCESIS
VAPINCENSIS
A S. R. CONGREGATIONE APPROBATA

AC DE MANDATO

ILLUSTRISSIMI AC REVERENDISSIMI


DD. AUGUSTI-CALLISTI BONNABEL

VAPINCENSIS EPISCOPI

EDITA

•

PARS AUTUMNALIS



TURONIBUS
SUMPTIBUS ET TYPIS MAME

Sanctæ Sedis Apostolicæ et Sacræ Rituum Congregationis Typographorum

OFFICIA PROPRIA
DIŒCESIS VAPINCENSIS

*

PARS AUTUMNALIS

FESTA SEPTEMBRIS

DIE 19 SEPTEMBRIS

SANCTI ARNULPHI

EP. VAPINCENSIS ET PATRONI PRINCIPALIS DIŒCESIS

Duplex I classis cum Octava communi

Omnia dicuntur de Communi Conf. Pont. præter ea quæ hic habentur propria.

IN I VESPERIS

Hymnus

Nos decet cantus sociáre lætos,
Et diem sacram celebráre plausu :
Præsul Arnúlphus, Pater et Patrónus
Intrat Olympum.

Flore sub primo juvenílis ævi,
Móribus simplex fuit atque purus ;
Nil puer quidquam pueríle gessit ;
Totus in altis.

Vana contémnens simulácra mundi,
Sæculum, dulces simul et paréntes,
Dúlcius cælum méditans, ovánti
Mente relíquit.

Vix domo sanctæ Tríadis recéptus,
Omnibus fulget méritis sacérdos ;
Et petit fidus comes Oderíci,
Límina Petri.

Præcinit Christum píetas alúmni ;
Roma lucéntem videt et verétur ;
Póntifex Summus sibi pro sodáli
Eligit ipse.

At Deus judex répetens Ripérti
Præsulis culpas, óvibus relíctis
Donat Arnúlphum, jubet atque nostram
Páscere gentem.

Trínitas, summo veneránda cultu,
Laus tibi, virtus et honor perénnis ;
Qui pari cura réferant Paréntem
Mitte minístros.
Amen.

Oratio

Omnípotens sempitérne Deus, qui beátum Arnúlphum Antístitem pópulo tuo præésse, et quibus præerat, verbo et exémplo prodésse voluísti ; eódem intercedénte, Pastóres Ecclésiæ tuæ, cum grégibus sibi commíssis, dírige in viam salútis ætérnæ, ut omnes, te donánte, tibi plácita cúpiant et tota virtúte perfíciant. Per Dóminum.

AD MATUTINUM

Hymnus

Quid times ergo, veneránde, sacris
Ínfulis sacram redimíre frontem
Te ducem poscunt, óvibus relíctis
Próvidus adsis !

Annuit ; læti cecinére patres :
En pedum sumit trepidánte dextra,
Sumit et curas, neque jam recúsat
Ferre labóres.

Jam tuos tangit, Liderice, ripas :
Voce, porténtis docet, et cadáver
Pállio velans, súbito prióres
Reddit ad auras.

Cáritas urget : cito Vindocíni
Fausta depóscunt Pater atque Fratres ;
Ut gigas Præsul, sítiens labóres,
Exílit inde.

Mox gregi totus, fácilis, benígnus
Páuperes nutrit, fovet atque vestit ;
Æmulus Christi, piat acta largo
Non sua fletu.

Impios vero véhemens retúndit,
Præsul invíctus, sibi nil verétur,
Pro Dei causa fácilem parátus
Fúndere vitam.

Inter advérsas sæculi
procéllas,
O Pater, sancta prece
nos tuére,
Donec optátos líceat salútis
Tángere portus.
Trinitas, summo venerända cultu,
Laus tibi, virtus et honor
perénnis :
Qui pari cura réferant
Paréntem,
Mitte minístros.
Amen.

In I Noct. Lect. Fidélis sermo, de Comm. 1° loco.

In II Nocturno

Lectio iv

ARNÚLPHUS, Vindocíni nobílibus e paréntibus ortus, ab annis puerílibus, Monastério Sanctíssimæ Trinitátis, liberálibus lítteris imbuéndus, tráditus fuit. Quibus cum multum profecísset per áliquot annos, videns Abbas venerándam in adolescénte simplicitátem, morum integritátem, maturitatémque ánimi, Religiónis hábitum ei trádidit. Qui cum majórem ætátem conscénderet, eo magis satagébat ut sanctitátis ápici ánimum semper inténderet. Cum ígitur præ frátribus sciéntia et Dei sapiéntia, omnibúsque virtútibus eniteret, ad sacerdótii gradum méruit promovéri. Amóre Dei fervens, caritáte erga omnes præcípue conspícuus, cum timóre Dei cunctórum obséquio promptus erat. Vindocinénsis Abbas Oderícus Romam proféctus, ut cum Alexándro secúndo Papa de sui monastérii negótiis ágeret, Arnúlphum præ céteris ob virtútes sibi diléctum, secum cómitem duxit. Cujus mérita, ac præsértim mansuetúdinem et humilitátem cum fácile discrevísset Summus Póntifex, ab Oderíco redeúnte, expétiit ut Ecclésiæ Sanctæ Priscæ in monte Aventíno, præficerétur Arnúlphus, sicque ejus collóquio, propter viciniam Ecclésiæ sanctórum Petri et Pauli, sæpe fruerétur.

℟. Invéni David servum meum, óleo sancto meo unxi eum : * Manus enim mea auxiliábitur ei.
℣. Nihil profíciet inimícus

in eo, et filius iniquitátis non nocébit ei. Manus enim mea auxiliábitur ei.

Lectio v

PLURES Galliárum Ecclésias vastábat tunc témporis simoníaca labes, cui ut remédium afférrent Pontíficis legáti in Gálliam hac de causa missi, plures Epíscopos e sédibus suis ejecérunt, inter quos Ripértus Vapincénsis Præsul. Cum ígitur hæc Ecclésia pastorális curæ caréret auxílio, deputátos ad Alexándrum misit ut viduitátis suæ miseréri dignarétur ; a quo Epíscopum accepérunt Arnúlphum. Hic débita Románo Pontífici obediéntia victus, sacrum onus suscépit ; et Vindocínum pétiit, ut sibi Abbátis benedictiónem postuláret, atque Fratrum oratiónibus se commendáret. Cum autem accessísset ad intróitum castri Vindocíni juxta ripam Liderici flúminis, puer, aquis submérsus, in líttore mórtuus jacébat inter astántium multitúdinem. Misericórdia motus sanctus Præsul nudo cadáveri pállium impósuit, et statim, cunctis cernéntibus, ad vitam puer revocátus est. Tanti vero miráculi instruméntum monastério sanctæ Trinitátis oblátum est, de quo Cappa facta fuit.

℟. Pósui adjutórium super poténtem, et exaltávi eléctum de plebe mea : * Manus enim mea auxiliábitur ei. ℣. Invéni David servum meum, óleo sancto meo unxi eum. Manus.

Lectio vi

ARNÚLPHUS Episcopátum non nomen honóris sed labóris æstimans, pascéndis óvibus sibi commíssis sédulo incúbuit ; corrúptos mores reformáre, prístinam pietátem, labefactámque Ecclesiásticam disciplínam magno ardóre restitúere satagébat. Fuit in eo in sublevándis egéntium necessitátibus indefíciens beneficéntia, in succurréndis morbo laborántibus indeféssa cáritas, atque in sedándis lítibus ímpigra sollicitúdo. Quam in monastério colúerat paupertátem, Epíscopum

retinuit. Pro asserénda justítia ac vindicándis Ecclésiæ légibus tamquam murum æneum se frequénter exhíbuit, iis præsértim strénue obsístens, qui censúras ecclesiásticas contemnébant. Propter justítiam multa perícula, multos lacesséntium latrátus sustínuit et insídias; atque étiam vitæ perículum absque ulla zeli intermissióne obíre non trepidávit. Postquam autem omnes óptimi Pastóris partes implevísset, multis miráculis clarus, et bonis opéribus plenus, obdormívit in Dómino, die décima nona Septémbris anno millésimo septuagésimo quarto.

℟. Iste est, qui ante Deum magnas virtútes operátus est, et omnis terra doctrína ejus repléta est : * Ipse intercédat pro peccátis ómnium populórum. ℣. Iste est, qui contémpsit vitam mundi, et pervénit ad cæléstia regna. Ipse. Glória Patri. Ipse.

In III Nocturno Homil. in Evang. Homo péregre, de Comm. 1º loco.

AD LAUDES

Hymnus

Sédibus, Præsul, súperis recépte,
Nos, licet vectus super astra, serves ;
Et tuam, nostræ bone Tutor urbis,
Réspice gentem.

Quis leves pennas dabit ut vocáti
Ad choros cæli modo transeámus,
Qui, Deum Trinum páriter canéntes,
Æthere pulsant !

Advola terris pótius! repóscunt
Fílii Patrem ; memor esto Prolis ;
Te sui formam répetit sacérdos ;
Annue votis !

Acta depéllas procul hinc nefánda ;
Insimul Christi teneámus aulam ;
Flecte suprémi, grege pro tuéndo,
Núminis iram.

Præstet hoc nobis Déitas beáta
Patris ac Nati paritérque Sancti
Spíritus, cujus rútilat per omnem
Glória mundum. Amen.

Ad Laud. fit Com. Ss. Januarii et Soc. Mm.

IN II VESPERIS

Hymnus

SAT datum terris ; tua nunc Olympo
Te gravem virtus méritis repóscit ;
O Pater ! caræ memor esto prolis,
Æthere summo.

Non abit totus ; sua post supérstes
Fata, se natis Pater ecce reddit ;
Nos adhuc factis docet, atque sacra
Ossa prophétant.

Quantus est ! Ejus túmulo propínquans
Déxterum sentit sibi quisque numen,
Et domum semper redit, impetráto
Múnere, lætus.

Sic Pater promptus mala nostra pelle ;
Sic fave dulcis précibus tuórum ;
Et tibi sacrum pópulum poténter
Transfer ad astra.

Præstet hoc nobis Déitas beáta
Patris ac Nati paritérque Sancti
Spíritus, cujus rútilat per omnem
Glória mundum.
Amen.

Fit Com. seq. Ss. Eustachi et Soc. Mm.

DIE 21 SEPTEMBRIS

DEDICATIO ECCLESIÆ CATHEDRALIS

Duplex I classis cum Octava communi

Omnia de Comm. Dedicat. Eccl. præter seq.

In II Nocturno

Lectio iv

ÆDES antiquíssimæ Cathedrális Ecclésiæ Vapincénsis, plúries sæculórum decúrsu vastáta, præsértim a Calvinístis, sexto décimo sæculo, magna ex parte destrúcta est, ac póstea sub finem séptimi décimi sæculi, jussu Victóris Amedæi, Sabáudiæ ducis, incéndio devoráta. Síngulis quidem vícibus, e ruínis quoquo modo erécta est ; áttamen, injúria témporum, reædificátio necessária evásit. Quam refectiónem multum quidem ánimo agitávit Irenæus

Depery, episcopus Vapincénsis ; sed tanti óperis execútio Victóri-Felici Bernadou, ejus successóri, reservabátur. Qui, postquam a gubérnio civíli sumptus necessárias obtínuit, auspicálem lápidem anno millésimo octingentésimo sexagésimo séptimo, et décimo sexto Kaléndas Július, pósuit ac benedixit, præsénte Josépho-Eugénio Guigues, Ottaviénsi in Cánada epíscopo, cum magna cleri ac pópuli frequéntia. Tandem, post fere trigínta annos contínui labóris, templum perféctum est, púlchrius quam ántea umquam fúerat, splendidúmque urbis Vapínci ornaméntum; atque, undécimo Kaléndas Octóbris anni millésimi octingentésimi nonagésimi quinti, a Próspero-Amábili Berthet, epíscopo Vapincénsi, dedicátum est et consecrátum. Póstero die, a Xavério Gouthe-Soulard, Acquénsi archiepíscopo, cui adstábant Petrus Bouvier, episcopus Tarantasiénsis, Prosper-Amábilis Berthet ac Dom. Chaix, abbas monastérii Cisterciénsis Bethleem in America, cum máximo apparátu inaugurátum est. Cui solemnitáti áderant páriter potestátes públicæ et innumerábilis pópulus. Horum festórum memória numquam in civitáte et diœcési Vapincénsi abolébitur.

℟. Orántibus in loco isto, * Dimítte peccáta pópuli tui, Deus, et osténde eis viam bonam per quam ámbulent, et da glóriam in loco isto. ℣. Qui regis Israël, inténde, qui dedúcis velut ovem Joseph, qui sedes super Chérubim. Dimítte.

Lect. v et vi Quotiescúmque, Sed habitáculum, cum ℟℟. v et vi.

In II Vesp. fit Com. seq. S. Matthæi Ap. et Evang. tantum.

DIE 26 SEPTEMBRIS

OCT. et TRANSLATIO SANCTI ARNULPHI

EP. ET CONF.

Duplex majus

Omnia ut in die Festi præter seq.

In I Vesp. fit Com. Oct. Dedic. Eccl. Cathedr. ac Ss. Cypriani et Justinæ Mm.

In I Noct. Lect. de Script. occurr.

In II Nocturno

Lectio iv

Beáti Arnúlphi defúncti corpus, mærénte Clero et pópulo Vapincénsi, in æde sancti Joánnis Rotúnda dicta sepúltum est. Ad cujus túmulum cum multa mirácula patraréntur, quibus ipsíus memória magis ac magis inclarescébat, triginta post mortem ipsíus annis, Armándus tunc témporis Vapincénsis Ecclésiæ Præsul, de elevándo beáti Arnúlphi córpore cogitávit. Die ígitur indícta, cum Clero ad sepúlcrum devótus accéssit, ac oratióni incúmbens, túmuli lápidem revólvi præcépit; quo veneránter amóto, ab oratióne surgit Epíscopus, et illáto in monuméntum lúmine, íntegrum invénit corpus, veste incorrúpta.

℟. Invéni David servum meum, óleo sancto meo unxi eum : * Manus enim mea auxiliábitur ei. ℣. Nihil profíciet inimícus in eo, et fílius iniquitátis non nocébit ei. Manus enim.

Lectio v

Porro cum erigerétur Arnúlphi corpus, visa est altérius bráchii mutilátio cum sánguine purpúreo manánte, ac si recénter ipsa facta fuísset, quæ tamen, vivénte sancto Pontífice, perácta fúerat. Etenim vitæ beáti Arnúlphi auctor fere coætáneus refert sanctum Pontíficem zelo Ecclesiásticæ disciplínæ conspícuum, dum in vivis ágeret, fórtiter obstitísse ímpio cuidam viro censúras ecclesiásticas contemnénti. Hic percítus ira, violéntas manus in beátum Præsulem inférre ausus est, eíque bráchium mutilávit. Sed, méritas, Deo víndice, exsólvit pœnas, cum, nocte sequénti, súbita morte corréptus fúerit.

℟. Pósui adjutórium super poténtem, et exaltávi eléctum de plebe mea : * Manus enim mea auxiliábitur ei. ℣. Invéni David, servum meum, óleo sancto meo unxi eum. Manus enim.

Lectio vi

Quæ cum ita fuissent, Armándo Præsuli, omnibúsque Translatióni astántibus opportúnum visum est, ut, ad veritátis notítiam, bráchium a córpore Sancti resecarétur, atque extra sepúlcrum ad posterórum memóriam seórsim asservarétur. Sic in Ecclésia Vapincénsi, témpore scílicet quo scribébat auctor vitæ sancti Arnúlphi fere coætáneus, bráchium illud pie peténtibus adhuc ostendebátur. Váriis autem témporum vicissitudínibus périit pars máxima beáti Arnúlphi Reliquiárum, ac solum, favénte Deo, servátum est venerándum sancti Pontíficis caput, de cujus pretiosíssimi possessióne thesáuri gaudet cathedrális Ecclésia ; ubi, certis diébus, expósitum summa pópuli devotióne et frequéntia cólitur.

℟. Iste est, qui ante Deum magnas virtútes operátus est, et omnis terra doctrína ejus repléta est : * Ipse intercédat pro peccátis ómnium populórum. ℣. Iste est, qui contémpsit vitam mundi, et pervénit ad cæléstia regna. Ipse. Glória Patri. Ipse.

In III Noct. Homil. in Evang. Homo péregre, de Comm. 1º loco.

Lectio ix de Ss. Cypriano et Justina, ut in Brev.

Ad Laud. fit Com. Oct. Dedic. ac Ss. Cypriani et Justinæ.

In Vesp. Com. seq. Ss. Cosmæ et Damiani Mm. et Octavæ.

DIE 28 SEPTEMBRIS

OCTAVA DEDICATIONIS ECCLES. CATHEDRALIS

Duplex majus

Omnia ut in die festi.

In I Vesp. Com. præc. Ss. Cosmæ et Damiani Mm. ac S. Wenceslai Ducis, Mart.

Lectio ix de S. Wenceslao, ut in Brev.

Ad Laudes fit Commemoratio S. Wenceslai Ducis, Mart.

Vesp. de seq. Dedic. S. Michaëlis Archang. sine Com. præced.

FESTUM OCTOBRIS

DIE 26 OCTOBRIS

SANCTI DEMETRII

PRIMI EPISCOPI
VAPINC. ET MART.

Duplex II classis

Omnia de Comm. unius Mart., præter ea quæ hic habentur propria.

IN I ET II VESPERIS

Hymnus

O FAUSTA multum cívitas,
Lætáre Vapíncum ! tibi
Illúxit hæc festívitas
Patris dicáta nómini.
In mortis umbra cóndita
Vero carébas númine ;
En ádvolat Demétrius,
Et jam fruéris lúmine.
Christum docet, deos fugat,
Plantat fidem ; fides suis
Fœcúnda fit sudóribus ;
Fidémque signat sánguine.
Fit mors Patris, gregis salus ;
Regnans polo, vivit suis ;
Oves tuétur, et simul
Regnáre cælis íncitat.
O Pastor admirábilis,
Tui sumus, nos réspice !
Sit sancta per te sóboles,
Sit fida Christo cívitas.
Uni sit et trino Deo
Supréma laus, summum decus,
De nocte qui nos ad suæ
Lumen vocávit glóriæ.
Amen.

Oratio

DEUS, qui beáti Demétrii Mártyris tui atque Pontíficis prædicatióne, patres nostros sedéntes in ténebris et umbra mortis illumináre dignátus es ; concéde nobis, ejus intercessióne, ut tanti benefícii mémores, fidem quam prædicávit, et profiteámur veráciter, et júgiter opéribus ostendámus. Per Dóminum.

AD MATUTINUM

Hymnus

QUÆ dies terris tibi sacra Præsul,
Hæc redit nostræ sacra civitáti ;
Tu bonus nostros, tua nos propágo,
Súscipe cantus.

Nostra gens, per te modo Christiána,
Se tibi debet; tibi cessit error;
Luce fudísti pópulum sub alta
Nocte jacéntem.

Dæmonum cultus, simulácra divum,
Sacra cum fanis, et adhuc madéntes,
Vílium fœdo pécudum cruóre
Déstruis aras.

Cáritas urget; male contumáces
Increpas audax, hóminem Deúmque
Prædicas Christum, nece qui piávit
Crímina mundi.

Laus tibi cunctis, Deus alme, seclis,
Qui patres nostros ténebris sepúltos
Ad tuæ lumen fídei vocásti
Múnere tanto.

Amen.

In I Noct. Lect. A Miléto, de Comm. 1o loco.

In II Nocturno

Lectio iv

Demétrius, primus Vapincénsis Epíscopus, hujus regiónis íncolas ab infidelitátis ténebris ad Evangélii lumen, et a vano idolórum cultu ad cultum Dei vivéntis addúxit. Sanctum Præsulem apostolórum Dómini fuísse discípulum non constat quidem monuméntis históricis, sed antiquíssima est Vapincénsis Ecclésiæ tradítio. Immo étiam vulgo tráditur eúmdem esse Demétrium, cui a sancto Joánne in Epístolam ad Gaium, tam illústre et verum testimónium perhibétur. Demétrius velut operárius inconfusíbilis, Evangélium regni prædicans, multos ad fidem convértit, et Vapínci Ecclésiam constítuit. Tandem, fidem quam verbo docúerat, martyrio signávit; et Ecclésiam sudóribus partam, fuso sánguine fœcundávit: non longe ab urbe, Præfécti jussu, cápite truncátus est.

℟. Honéstum fecit illum Dóminus, et custodívit eum ab inimícis, et a seductóribus tutávit illum: * Et dedit illi claritátem ætérnam. ℣. Descendítque cum illo in fóveam, et in vínculis non derelíquit eum. Et dedit.

Lectio v

Quam præcláram relíquerit labórum memóriam, nec non sanctitátis famam, satis demónstrat subsequéntium témporum erga sanctum Pontíficem venerátio. Illíus enim festivitátem summo honóre hábitam præcépto étiam ab omni servíli ópere cessándi fidélibus impósito, monuménta perantiqua testántur. In vetéribus nómini suo dicátis hymnis celebrátur ut mundítiæ spéculum, custos innocéntiæ, radix almæ Ecclésiæ Vapincénsis, stupor dæmonum, et languéntium medéla. Exstant huc usque ædes sacræ in ejus honóre consecrátæ.

℟. Desidérium ánimæ ejus tribuísti ei, Dómine, * Et voluntáte labiórum ejus non fraudásti eum. ℣. Quóniam prævenísti eum in benedictiónibus dulcédinis, posuísti in cápite ejus corónam de lápide pretióso. Et.

Lectio vi

Beáti Pontíficis corpus in Ecclésia sancti Joánnis Rotúnda olim asservabátur. Luctuósis autem præténsæ Reformatiónis perturbatiónibus, quibus non semel concússa Vapincénsium cívitas, tam pretiósum pignus majóri ex parte périit. Quædam tamen insígnes relíquiæ ímpiis hæreticórum áusibus subtráctæ honorífice in Ecclésia Cathedráli servátæ sunt usque médium versus décimi octávi sæculi; quo témpore cœpérunt in obliviónem dari. Anno autem millésimo octingentésimo quadragésimo quinto, Joánnes-Irenæus tunc Epíscopus Vapincénsis, ecclesiásticæ antiquitátis amantíssimus, cum audísset sancti Demétrii relíquias in Ecclésiæ Cathedrális sacrário posthábitas remanére, adjúnctis sibi viris ecclesiásticis, eas diligentíssime examinávit, quarum authenticitáte recte probáta, illas dénuo fidélium veneratióni expóni et in altári majóri Cathedrális Ecclésiæ asservári præcépit.

℟. Stola jucunditátis induit eum Dóminus: * Et corónam pulchritúdinis pósuit super caput ejus. ℣. Cibávit illum

Dóminus pane vitæ et intelléctus: et aqua sapiéntiæ salutáris potávit illum. Et. Glória Patri. Et.

In III Noct. Homil. in Evang. Si quis venit ad me, de Comm. 1° loco.

Lect. ix de S. Evaristo, ejusque Com. ad Laud. tantum (Ant. Iste Sanctus. ℣. Glória et honóre, e I Vesp.).

AD LAUDES

Hymnus

Quantis nostra fides
empta labóribus!
Hanc mundo péperit
morte sua Deus;
Hanc sudóre rigat, Pastor, Apóstolus
Nec non sánguine cónsecrat.

Hac spirámus adhuc,
vívimus hac fide;
Hinc spes certa venit,
náscitur hinc salus;
Si non degéneres nos séquimur Patrem,
Natis laus erit et Patri.

O Pastor, trépidi præsídium gregis!
Tu nos e súperis prótege sédibus:
Nobis imméritis da prece sédula,
Da cæléstia gáudia.

Patri máxima laus,
máxima Fílio
Amborúmque sacro máxima Flámini,
Qui dat Martyribus mille neces pati,
Et per fúnera víncere.
Amen.

FESTA NOVEMBRIS

DIE 5 NOVEMBRIS

Ss. RELIQUIARUM

QUÆ IN ECCLESIIS DIŒCESEOS ASSERVANTUR

Duplex majus

Offic. in Psalt. et in Comm. Martyrum, præter seq.:

Oratio

Auge in nobis, Dómine, resurrectiónis fidem, qui in sanctórum tuórum Relíquiis mirabília operáris: et fac nos immortális glóriæ partícipes, cujus in eórum cinéribus pígnora venerámur. Per Dóminum.

Et fit Com. S. Caroli Ep. et Conf. ac Oct. Omnium Sanctorum, ut in Brev.

In II Nocturno

Ex Tractátu sancti Joánnis Damascéni de fide orthodóxa

Lectio iv Lib. 4 cap. 15

CHRISTUS Dóminus sanctórum relíquias velut salutáres fontes præbuit, ex quibus plúrima ad nos benefícia manant, suavissimúmque unguéntum prófluit. Nec vero quisquam his fidem détrahat. Nam si aqua in desérto ex dura et áspera rupe, atque ex ásini maxílla, ad sedándam Samsóni sitim, Deo ita voléente, prosíliit, cur incredíbile videátur ex Mártyrum relíquiis unguéntum suáve scaturíre? Mínime certe iis, quibus Dei poténtia et honor quo Sanctos suos áfficit, perspécta sunt et exploráta.

℟. Sancti tui, Dómine, mirábile consecúti sunt iter, serviéntes præcéptis tuis, ut inveniréntur illæsi in aquis válidis: * Terra appáruit árida, et in Mari Rubro via sine impediménto. ℣. Quóniam percússit petram, et fluxérunt aquæ, et torréntes inundavérunt. Terra.

Lectio v

IN lege quidem, quisquis mórtuum tetígerat, immúndus censebátur. Hi verum in mortuórum número mínime sunt habéndi. Ex quo enim ille qui ipsa Vita est, et vitæ Auctor inter mórtuos deputátus est: eos qui cum spe resurrectiónis fidéque in ipsum obdormiérunt, nequáquam mórtuos appellámus. Qui enim mórtuum corpus mirácula édere queat? Quanam ígitur ratióne, horum ópera dæmones expellúntur, morbi profligántur, ægróti sanántur, cæci visum recípiunt, leprósi mundántur, tentatiónes discutiúntur ac mæróres, omne dénique datum óptimum, iis qui fide non dúbia póstulant, per eos descéndit a Patre lúminum? Quid labóris non suscípias, ut patrónum nanciscáris, qui te mortáli regi ófferat, et pro te ad eum verba fáciat? An non ígitur ii honorándi, qui totíus géneris humáni patróni sunt, Deóque pro nobis súpplices preces ádhibent?

℟. Vérbera carníficum non timuérunt sancti Dei, moriéntes pro Christi nómine : * Ut herédes fíerent in domo Dómini. ℣. Tradidérunt córpora sua propter Deum ad supplícia. Ut herédes.

Lectio vi

HONORÁNDI certe : et quidem ita ut in eórum nómine templa Deo exstruámus, dona offerámus, memórias eórum colámus, atque in iis spirituáliter oblectémur : ea útique lætítia, quæ illis arrídeat a quibus invitámur, ne, dum demeréri illos studémus, offendámus pótius et irritémus. Quibus enim rebus Deus cólitur, iísdem servi quoque ipsíus oblectántur : quibus autem Deus offénditur, iísdem étiam mílites offendúntur. Quocírca in psalmis et hymnis et cánticis spirituálibus, in compunctióne quoque, et egenórum miseratióne, quibus et Deus potíssimum cólitur, nos qui fidéles sumus, cólere Sanctos opórtet. Státuas eis, et imágines quæ videántur, erigámus : immo virtútes eórum imitándo hoc consequámur, ut vivæ ipsórum státuæ imaginésque evadámus.

℟. Tamquam aurum in fornáce probávit eléctos Dóminus, et quasi holocáusti hóstiam accépit illos ; et in témpore erit respéctus illórum : * Quóniam donum et pax est eléctis Dei. ℣. Qui confídunt in illum, intélligent veritátem : et fidéles in dilectióne acquiéscent illi. Quóniam. Glória Patri. Quóniam.

In III Noct. Homilia in Evang. Descéndens, de Comm. plur. Mm. 2° loco.

Ad Laud. et in II Vesp. fit Com. Oct. Omnium Sanctorum.

In Ecclesiis consecratis Diœceseos excepta Cathedrali

DIE 6 NOVEMBRIS

DEDICATIO PROPRIÆ ECCLESIÆ

Duplex I classis cum Octava communi

Omnia de Comm. Dedicationis Ecclesiæ.

Infra Oct. de ea fit Com. juxta Rubricas.

DIE 13 NOVEMBRIS

OCTAVA DEDICATIONIS PROPRIÆ ECCLESIÆ

Duplex majus

Ut in Communi. Et fit Com. præced. et S. Didaci.

Lectio ix de S. Didaco et ejusdem Com. ad Laudes.

In II Vesp. Com. seq., S. Josaphat et S. Didaci.

DIE 14 NOVEMBRIS

SANCTI VERANI

EP. ET CONF.

Duplex

Offic. in Psalt. et in Comm. præter ea quæ hic habentur propria.

Oratio

IMMÉNSAM cleméntiam tuam, omnípotens Deus, humíliter implorámus, ut qui fragilitáte nostra præpedíti, innumerabíliter peccávimus, beáti Veráni Confessóris tui atque Pontíficis précibus adjuvémur. Per Dóminum.

In I Vesp. fit Com. præc. S. Didaci Conf. et S. Josaphat Ep. et Mart.

In II Nocturno

Lectio iv

VERÁNUS Cabellionénsis Epíscopus, e Valle Clausa vel e pago Gabalitáno oriúndus, a primo ratiónis usu, mirum in modum totus in Dei ópere convérsus est. Jam ætátis compos, divíni afflátu Spíritus, ad Mimaténsem Epíscopum, in festo sancti Priváti Mártyris, ádiit. Et, eo ipso die, cum in ecclésia pervígilem noctem duxísset, ab Antístite Cléricus efféctus est. Tandem inter presbyteros hujus ecclésiæ adscríptus, vicínas Gálliæ regiónes evangelizávit múltaque édidit mirácula. Verum ad effugiéndam sui nóminis famam, Vallem-Clausam pétiit. Tumque ex eo loco, crucis signo munítus, inféstum dracónem ad Sórgiæ fontes latitántem expulísset, ad honórem beatíssimæ Vírginis Maríæ exstrúxit Ecclésiam, devóte huc usque frequentátam. Póstea Romam proféctus, pervénit Ebredúnum. Cum autem, sícuti viátor ignótus, ultérius pérgere decrevís-

set, non pótuit quin ipsis arreptitiórum clamóribus proderétur. Mox infírmos et immúndis spirítibus oppréssos qui ad ipsum deferúntur, signo salútis curat. Quibus audítis, beátus Peládius, civitátis Archiepíscopus, illum, áliquot diébus, rogátum hospítio excépit.

℟. Invéni David servum meum, óleo sancto meo unxi eum : * Manus enim mea auxiliábitur ei. ℣. Nihil profíciet inimícus in eo, et fílius iniquitátis non nocébit ei. Manus enim.

Lectio v

Exínde digréssus, Briancónnium versus iter proséquitur. Cumque pervenísset ad Montem Januénsem seu Génebram, íncidit in latrónes, quorum unus mucróne eum aggréditur. Sed, Deo providénte, bráchium percussóris áridum permánsit, et ictus evánuit. Tum perterrefácto pœnitentíque scéleris, auctóri vir Dei usum bráchii restítuit. Romæ tandem cum ad sancta Petri et Pauli límina processísset, negántibus ingréssum ædítuis, divínitus sacrum pánditur sacéllum, ut húmilis vir líbere íngredi possit. De quo admónitus Bonifácius secúndus summus Póntifex benígne excépit eum et secum honorífice retínuit. At, expléto religiónis voto, Veránus, multis ditátus Relíquiis, Gálliam decrévit repétere. Regiónes Mediolanénsem, Albiganénsem et Lugdunénsem, perlústrans, plures liberávit a dæmone posséssos, nec non cæcis visum, mutis loquélam, defunctísque púeris vitam réddidit. Multos Ethnicos signis váriis convértit ad Christum. Muliónem étiam régium flammis præcípiti judício damnátum cum comperísset, illæsum ab incéndio erípuit.

℟. Pósui adjutórium super poténtem, et exaltávi eléctum de plebe mea : * Manus enim mea auxiliábitur ei. ℣. Invéni David servum meum, óleo sancto meo unxi eum. Manus.

Lectio vi

In pátriam revérsus, defunctóque Prætextáto Cabellionénsi Epíscopo,

Veránus ad Episcopátum invítus assúmptus est. Tanta dignitáte auctus, ad regéndum créditum sibi gregem exémplo, voce et scriptis incúbuit. Apud príncipes magna váluit auctoritáte, et de cæde Prætextáti Rothomagénsis Archiepíscopi missus fuit ut inquirerétur. Sedit in Concílio Matisconénsi secúndo cum Arígio Vapincénsi. Arelátum tandem, quamvis sénio conféctus, venit ad concílium provinciále. Hic, letháli morbo corréptus, spíritum Deo exhalávit. Beáti Pontíficis Relíquiæ póstea in Ecclésiam Cabelliono-nénsem solémniter translátæ sunt. Quarum conspícuam partem olim habuísse Ebredunénsis Ecclésia reperítur. Anno autem millésimo octingentésimo quadragésimo quinto ac séptima die Júlii, Ecclésia Cabelliono-nénsi benígne elargiénte, Ecclésia sancti Veráni, in Valle Quadráta, notábili partícula, cum solémni translatióne ditáta est.

℟. Iste est, qui ante Deum magnas virtútes operátus est, et omnis terra doctrína ejus repléta est : * Ipse intercédat pro peccátis ómnium populórum. ℣. Iste est, qui contémpsit vitam mundi, et pervénit ad cæléstia regna. Ipse intercédat. Glória Patri. Ipse intercédat.

In III Noct. Homil. in Evang. Homo péregre, de Comm. 1º loco.

Lectio ix de S. Josaphat, ut in Brev.

Ad Laud. fit Com. S. Josaphat Ep. et Mart.

Vesp. a Cap. de seq., Com. præc. et S. Josaphat.

Pro civitate Tallardiensi
et aliis Parochiis in quibus S. Gregorius est Titularis ecclesiæ vel loci Patronus.

DIE 21 SEPTEMBRIS

SANCTI GREGORII

EP. ET CONF.

Duplex I classis cum Octava communi
(Ex Decreto S. R. C. diei 11 Martii 1854)

Omnia de Comm. Pont. præter seq.

In I Noct. Lect. Fidélis sermo, 1° loco.

In II Nocturno

Lectio iv

GREGÓRIUS Amnícii majóri in Arménia piis et nobílibus paréntibus ortus, ita christiánas virtútes, divínas humanásque sciéntias a pueritia cóluit, ut ómnibus admiratióni mox fíeret. Mórtuo Amniciénse Epíscopo, Gregórius licet invítus, cleri populíque consénsu in ejus locum elígitur. Qui dum óptimi pastóris munus impléret, a Bárbaris cultum idolórum in tota Arménia restitúere conántibus, Amnícium vastátur et incéndio tráditur. In hac témporum calamitáte tantóque fídei discrímine, gregi suo verbo et exémplo Gregórius impávida sollicitúdine ádfuit, quo factum est, ut omnes in christiána religióne constántes permanérent. Quare a Bárbaris quæsítus ad necem, pátria excédere cógitur.

℟. Invéni David servum meum, óleo sancto meo unxi eum : * Manus enim mea auxiliábitur ei. ℣. Nihil profíciet inimícus in eo et fílius iniquitátis non nocébit ei. Manus enim.

Lectio v

INDIAM quibúsdam cum presbyteris suis ad sepúlcrum sancti Thomæ Apóstoli profectus, pópulum falsórum deórum cúltui déditum ad veri Dei veneratiónem addúxit, postque innúmera

fere perícula divína virtúte superáta, Calamínam advénit. Ibi sacras Indórum Apóstoli relíquias venerátus, Amniciúmque revérti cógitans, vir sanctus, non sine Dei nutu, a cujúsdam Barbarórum regis satellítibus tentus, in víncula conjícitur, et capitáli senténtia damnátur. Intérea regis fílius súbito inauditóque morbo corrípitur, quem Gregórius suis précibus sanitáti restítuit : eóque miráculo permótus rex, una cum uxóre et fílio baptísmum suscépit. Póstea multis peragrátis regiónibus, quarum reges et pópulos Evangélio lucrátus est, Gregórius Jerosólymam perréxit, cumque loca Christi Dómini mystériis consecráta visitásset, Romam étiam ad límina Apostolórum se cóntulit. Tum sancti Martíni audíta miraculórum fama, Túronem pétiit, ubi beáti viri collóquiis suavíssimam consolatiónem accépit. Rursus Itáliam proféctus, Gállias evangelizándo pertránsiit, et in Alpínam regiónem véniens, Vapínci ab Epíscopo honoríﬁce hospítio excéptus est.

℟. Pósui adjutórium super poténtem, et exaltávi eléctum de plebe mea : * Manus enim mea auxiliábitur ei. ℣. Invéni David servum meum, óleo sancto meo unxi eum. Manus enim.

Lectio vi

Erat id témporis Allabonénsis cívitas (hódie Tallard) gentiúmque finitimárum magna pars ímpio idolórum cúltui misérrime sérviens. Quos pópulos rogátus a Vapincénsi Epíscopo Gregórius a ténebris ad lucem, atque a dæmoniórum cultu ad cultum Dei vivéntis revocándos suscépit, cujus prædicatióni hanc Deus virtútem dedit, ut post biénnium per univérsam regiónem idololatría devícta jacéret, cunctíque Christi fidem fervénti ánimo cólerent. Dénique tot tantísque peregrinatiónibus arduísque labóribus fractus Gregórius, Allabóni dum sacrum absólveret, apopléxia corréptus, ad altáre óbiit, anno salútis quadringentésimo quarto,

die Septémbris vigésima prima, ejúsque túmulum Deus multis miráculis illustrávit. Beáti Antístitis singuláre præsídium non semel expérta est Allabonénsis cívitas, ipsúmque immemorabíliter ut Patrónum potentíssimum venerátur, cujus cultum Innocéntius Papa décimus auctoritáte Apostólica confirmávit. Sancti Gregórii Relíquiæ Allabóni asservántur, ubi curénte ejus festo, solémni pompa expósitæ magna pópuli frequéntia religióse colúntur.

℟. Iste est, qui ante Deum magnas virtútes operátus est, et omnis terra doctrína ejus repléta est : * Ipse intercédat pro peccátis ómnium populórum. ℣. Iste est, qui contémpsit vitam mundi, et pervénit ad cæléstia regna. Ipse intercédat. Glória Patri. Ipse intercédat.

In III Noct. Homilia in Evang. Homo péregre, de Comm. 1° loco.

INDEX

SEPTEMBER

19 **S. ARNULPHI** Ep. et Conf., *dupl. I cl.* cum Oct. communi. 3

21 **DEDICATIO ECCLESIÆ CATHEDRALIS,** *dupl. I cl.* cum Oct. communi. 8

21 **S. GREGORII** Ep. et Conf., *dupl. I cl.* cum Oct. communi. 21

26 Oct. et Translatio S. Arnulphi Ep. et Conf., *dupl. maj.*. 9

OCTOBER

26 S. DEMETRII Ep. et Mart., *dupl. II cl.* 12

NOVEMBER

5 Ss. Reliquiarum, *dupl. maj.* 15

6 In Ecclesiis consecratis præter Cathedralem : **DEDICATIO ECCLESIARUM CONSECRATARUM,** *dupl. I cl.* cum Oct. communi. 17

13 Octava Dedicationis, *dupl. maj.* 18

14 S. Verani Ep. et Conf., *dupl.* 18

BIBL. STE GENEVIÈVE

Concordat cum originali.

Vapinci, die 5 Decembris 1948.

† AUGUSTUS-CALLISTUS
Episc. Vap.

Imprimatur.

Turonibus, die xxx Martii MCMXLIX.

† LUDOVICUS-JOSEPHUS
Archiepisc. Turon.

Imprimé en France.

859-1949 — Turonibus, typis Mame.
Dépôt légal : 2e trimestre 1949.